AMBRÆ HISTORIAM

AD

OMNIPOTENTIS DEI GLORIAM,

ET

HOMINUM SANITATEM.

exhibet,

JUSTUS FIDUS KLOBIUS D.
In Academ. Witteb.



VVITTENBERGÆ,
Sumptibus Hæred. D. TOBIÆ MEVII & ELERDI SCHUMACHERI
Typis MATTHÆI HENCKELII
ANNO M. DC. LXVI.

ILLUSTRISSIMO MAGNANIMO ET INCOMPARABILI VIRTUTE

HEROI AC DOMINO

DN. HENRICO Libero Baroni

A Friesen

Schönfeldi, Putzkavii Jesseni & Grauppœ &c. Domino

Serenissimi ac Potentissimi

ELECTORIS SAXONIÆ

In Consilio Sanctiore Senatori Primario & Cubiculario Eminentissimo

Domino meo Gratiosissimo

NEC

NEC NON

ILLUSTRISSIMO ac GENEROSISSIMO

DOMINO

DN. CAROLO

Libero Baroni

A Frieſen

Rothaviæ Kottæ & in Geſch-

vvitz &c. Domino

Sereniſſimi ac Potentiſſimi

ELECTORIS SAXONIÆ

In Conſilio Sanctiore Senatori & Cubiculario ac

Proto ſynedrii Eccleſiaſtici Præſidi

Eminentiſſimo

Domino meo Gratioſiſſimo

Illu-



Illustrissimi & maximè Generosi Dnn. Barones, Domini Gratiosissimi.

P*Iaculum eqvidem duco, remorari VOS à negotiis, quibus detinemini gravissimis, Floridū concernentibus Charissimæ Patriæ statum, ut incrementum sumat quotidiè & Consiliis Vestris saluberrimis Celsissima RUTA SAXONICA accrescat feliciter & ampliter sese diffundat: Attamen*

Quod caret alterna requie, durabile non est.

Itaq; veniam, ut spero, merebor Vestram, quam imploro, gratiosam, non quidem si ausim celebrare jam multis nominibus Prosapiæ Vestræ splendida incrementa ac Generosa facinora, Celsissimisque Principibus Electoribus Saxoniæ atque adeò Patriæ præstita me-

rita,

rita, ſed ſi auſim recreare VOS ſuaviſſimâ rerum naturalium, quâ delectamini, contemplatione. Hâc quidem vice animus non eſt afferre noviter aliquod in Re Medica inventum, utpote vel Catechy vel Radices Been vel Herbam Theè vel Tragacanthum Venereum aliàs avium nidum ſecundum VVormium & Laët, vel Terram S. Pauli vel Agaricum ſaxatilem vel Chinam de China Antiquartium illud Peruvianum vel Grana Coffii, quæ Baro de Verulamio Caphe appellat, vel Abel Moſch. vel noviſſimè notam Herbam Tartarene, aliudve id ſimile. Verum id VOBIS Domini Gratioſi jam ſiſto medicamentum, quod Naturales Animales & Vitales Spiritus fortiter rereat & in immenſum reſtaurat. Non ſine cauſa Cæſareum quondam fuit donum, & quidem non haudita pridem, quando Invictiſſimo Romanorum Imperatori Matthiæ à Mahumedis Turcæ Legato Mehemet Kihaja inter alia præſentabatur dona,

Vide-

Videlicet pretiosissima AMBRA: Quæ tum præsentata fuit Gloriosissimo atque Invictissimo Cæsari Re ipsâ, hanc VOS Illustrissimi & Generosissimi Domini Barones Domini Gratiosissimi, gratiosè â me accipite in Chartâ, Chartaceum quidem munusculum est, attamen Devotionis erga VOS meæ, monumentum solidum, quod ipsum ponere volui ideò, ne sim inter illos, qui Vestras Animi Dotes & Fortunæ Faventiam vel ignorant vel non admirantur. Dab. è Museo d. 20. Martii Anno 1666.


VVESTRAR ILLUSTRISSIMAR GRATIAR.

Humillimus & obsequentissimus

JUSTUS FIDUS KLOBIUS D.



DEO DUCE.




D hanc hiſtoriam AMBRÆ conſcribendam incitavit me ab una parte ipſius AMBRÆ frequentiſſimus & ſaluberrimus in Medicina uſus & ſupra modum æſtimata dignitas; Etenim Virtutes ejus in Medicina tales ſunt ac tantæ, ut laudibus extolli ſatis haud queat, Propter dignitatem autem & æſtimationem ſuam ſummam non pauperum tabernas petit & tuguriola piſcatorum: Verum ad Principum Regum ac Cæſarum palatia pergit, eaq; frequentat per Europam Aſiam Africam & Univerſum propemodum terrarum orbem, eademq; odoramenti ſuavitate fortiter adimplet & ipſos terrarum Dominos mirificè recreat & opitulatur: ab alterâ parte verò Doctorum nimis diverſa opinio & multijuga diſcrepantia de hâc ipsâ materiâ: adeò ut Commentatores in Hiſtoriam Mexicanam Franciſci Hernandis, hanc de Origine Ambræ diſcrepantiam & diſſenſum appellare non dubitaverint pelagus Controverſiarum undis pleniſſimum *pag. 566.* Reperiuntur namq; opiniones de eâdem diſſentientes decem atq; octo quantum ego memini. Hinc non ſolum animus veritatis cupidus incertus eſt & fluctuat, quemadmodum Sylvius, qui Meſuen interpretatus eſt, in interpretatione vocum ſcribit; Ambra Arabum ſeu Græcorum Recentiorum ambar, quibusdam Latinis ſuccinum Orientale dicitur; an vero

ſit ſtercus aut ſemen piſcium, aut maris ſeu fungus, vel aliud, quod mare in littora eructat, parum hodie eſt compertum. Et Laurentius Eichſtadius in Diſſertatione de Confectione Alchermes *cap. 11. pag. 60.* hæc habet: In ambræ generatione variant Medici, quia valdè difficile eſt, ſpeciales ſingulorum ortus quærendo inveſtigare, multisq; ſufficit in generalibus ſubſiſtere & acquieſcere: Et quemadmodum ipſe Matthiolus ingenuè fatetur *lib. 1. cap. 20. p. 66. in Dioſcorid.* Quæ ſit Ambari Hiſtoria ut verior accipienda, non equidem auſim decernere, quod nihil adhuc certi atq; explorati habeam: Idem affirmant nunc nuper Laudatiſſimæ Academiæ Naturæ Curioſorum Domini Adjuncti (quorum feliciſſimæ intentioni ego fauſtiſſima quæq; comprecor atq; exopto, namq; ſic unumquodq; in ſuâ naturâ latiſſimè patefiet & in conſpectum dabitur palàm) quando in Epiſtola invitatoria ita ſcribunt: Quotusquiſq; omnium eſt qui de Ambra, de Unicornu (quamquam de hoc Excellentiſſ. Bartholinus in tractatu ſuo de Unicornu egerit ſatis prolixè) de ſpermate Ceti, de Radicibus Been, de ſemine Cynæ, certi quicquàm pronuntiare auſit, iiſdem tamen indies utimur ipſi & magnis precibus pretioq; obtrudimus ad nauſeam uſq; ægrotantibus. Hæc illi: Et ut certi quicquam tandem de nobiliſſima Ambra conſtet promittit D. D. Metzger Ambram elaboratam (& jalappam) in materierum deſignatione, num conſenſerit nobiſcum, tempus dabit: Sed & hominum SANITAS bonam partem ſi non impeditur, tamen non promovetur, videlicet, quando ſaltem ſecundum Experientiam & non ſimul ſecundum rationis trutinam præſcribitur medicamen: Eâ de causâ conſtitui mecum, quando aliàs vacat, conſignare nonnulla diligentius de laudatiſſimæ AMBRÆ verâ origine,

quan-

quantum fieri poteſt, eſſentia, Viribus ac Facultatibus deq; ſaluberrimo ejuſdem in Medicina uſu; non tamen quaſi quenquã à ſuâ nimis firmiter præconceptâ opinione per tractum velim in hanc vel illam ſententiam, procul hinc meum eſt inſtitutum, abundet Unusquiſq; ſuo ingenio per melicet, interim tamẽ nemini vertetur vitio, ſi quiſquam hanc præ aliis amplectatur ſententiam, quæ magis eſt probabilis & veritati conſona, utpote quæ ex relationibus concurrentibus atq; ſic magis certis fundamentis poteſt demonſtrari, quam quæ ex fallacibus ſaltem conjecturis; donec certiora de origine Ambræ fuerint communicata indicia. Fortaſſis dabitur ſic occaſio ulterius inquirendi, unde habeat Nobiliſſima AMBRA tales ac tantas Virtutes refocillandi vitales Spiritus, Vix enim credidero, me omnia attigiſſe propter diſtantiam loci unde defertur ad nos, quiq; natalis eſt ipſi AMBRÆ & propter defectum rariſſimorum ac Excellentiſſimorum Autorum, ex quibus longè melius ipſius Ambræ uberior hiſtoria deduci facile poſſet, poteritq; deinde majori ægrorum emolumento in arte Medica adhiberi & non ſine ratione Empiricorum more præſcribi; quamvis Nævius *in Conſiliis à Laurentio Scholtzio collectis Conſil. 225.* exiſtimet non magnopere intereſſe, ex quibus oriatur, ſcire. Præterea ipſos autores, quos invenies citatos, Benevole Lector, bonâ fide allegatos ſcito, ne fraudem quandam mihi fortè impertias, vel malevolum animũ adſcribas, ſic etenim poteris faciliùs ipſemet inquirere, num candidè & ſine fuco rem ipſam tractârim, nec ne; Hoc tamen Te meminiſſe velim Amice Lector, me in allegatis nihil intendiſſe aliud, quam ut Ambræ hiſtoriam manifeſtem, nam in allegatis nonnulla fortè poſſe aliorsùm flecti, non nego, attamen, illam ego litem non facio meam, ſiquidem & mihi non ubiq; ſatisfaciunt.



TRACTATIO.



Ecantatiſſimum & nunquam ſatis laudandum Spirituum vitalium Nobiliſſimum refectorium, ſuaviſſimi odoris pretioſiſſima AMBRA noſtro ævo memorabilis, Veteribus quod ſentiunt eruditi, prorſus incognita: *Cælius Rhodiginus lib. 28. Lection. antiquar. cap. 25.* quando cognoſci cæperit & in uſum trahi adeò manifeſtum non eſt, niſi tum, ubi in Indiam Orientalem itum eſt frequentius laudatiſſimæ AMBRÆ notitia cæpit & haud ita multò poſt inclaruit magis magisq;, etenim Hippocratem, Galenum, Paulum & qui proximè inſequentibus deinde ſeculis maximè floruerunt Medici & Naturalis ſcientiæ ſcriptores ipſius AMBRÆ laudatiſſimæ mentionem feciſſe vel leviſculam ſaltem legimus nuſquam; Ariſtoteles quippe, Plinius, Dioſcorides, ſolerteſſimi aliàs & ſagaciſſimi rerum naturalium ſcrutatores de hâc ipsâ materiâ per omnia ſilent, niſi quis exinde aliqualem notitiam ambræ Plinio adſcribere fortè velit, quando *cap. 7. lib. 14. Hiſtor. Naturalis* refert; Quod Appollodorus Medicus in Volumine, quo Ptolemæo Regi inter vina tranſmarina, quæ biberet, laudaverit Ambraciotem, dum fortaſſe ambram ſapuiſſe vel etiam odoris fragrantia oluiſſe præſumptio eſſe potuit, quemadmodum abſinthites abſinthium & Aromatites Vinum, aromata *Plin. lib. 14. cap. 16.* & Vinum myrrhatum, quod Salvatori noſtro exhibuerunt milites ad bibendum, myrrham, quæ tamen Vina artificialia ſunt ideoq;, convenientius applicabitur Vinum Apianum ſive hodierno vocabulo Muſcatellum ſive Muſcatellinum ſic dictum, quod Muſci odorem redolere à nonnullis credatur, quam tamen appellationis derivationem ex Columella rejicit Facellus *cap. 4. de Reb. Siculis p. 15.* Videlicet:

licet : Uvæ quarùm apes ſunt avidæ (propter exactam dulcedinem) à quibus & Apianæ dicebantur, eas & Muſcæ quoq; ſectantur à quibùs Muſcatellas dici Columella docet: Optimum creſcere in monte Faſco teſtatur Zeilerus *in Fido Achate p. 228.* & Sachſius *in Ampelographia p. 436.* Verum ſi nota fuiſſet Plinio laudatiſſima Ambra vel leviter ſaltem, vix omni prætériiſſet ſilentio, utpote, qui in conſignandis rebus naturalibus tam felix fuit, ut ſi modum non exceſſerit, tamen non defeciſſe videatur. Camerarius ſcribit ; Mirum certè eſt, tam pretioſam rem & nobilem viribus non innotuiſse Veteribus Græcis & Latinis, cum tamen non ceſſarent illi omnem pene mundi angulum excutere & Alexandro Duce pene tota patuerit India : in Sylloge ſuâ Memorabilium Medicinæ & Mirabilium Naturæ Arcanorum *Centur. 4. partic. 48.* Nemini ex Græcis fuiſſe notam conatur aſſerere Nævius *in Conſiliis Scholtzii Conſil. 225.* & Ulyſſes Aldrovandus *lib. 3. Muſæi Metallici cap. 21. p. 430.* Verum mitius agit Weckerus, dum non omnem prorſus notitiam Ambræ Græcis denegat, quando ſcribit *lib. 1. Antidotarii ſui ſpecialis ſect. 7. de Marinis p. m. 81. cum Nicolao Monarde in ſimpliciùm medicamentor. hiſtor. cap. 7.* Solus Simeon Sethi & Ætius inter Græcos ejus meminerunt, quanquam paulò antè *p. m. 80.* eâdem ſectione dixerat. Nullus Græcorum præter Ætium hujus meminit : Arabes deinde, qui in Artem noſtram Ambram induxerunt, (Nævius citato loco) Avicenna, Rhaſes, Serapio, Meſues, Averroes aliquantisper AMBRÆ laudatiſſimæ hiſtoriam perſecuti ſunt ; Nam Mauritani ſeu Arabes tandem eam in commentaria retulerunt, ex quibus cæpit innoteſcere. *Libavius lib. 4. ſingular. p. 308.* Sed non omnes eandem ſententiam ſunt ſecuti ; Hos imitati ſunt atq; etiamnum imitantur in hunc usq; diem paulò fuſiùs hodierni tam Medici quam Philoſophi additis nonnullis & in diverſas partes deviantibus aliis atq; aliis opinionibus ; ſicut enim fit (pergit Libavius) in re non exploratâ, nec Veterum diligentia excuſſa, ut quilibet ſibi ex aſpectu vel aliis conjecturis fingat opinionem, ita evenit ambræ, quare cum pretioſiſſima hæc & maximi uſus materia in Medicina, ſummâ inveſtigatione digna ſit, ideò in ſequentibus, quæ in Autorum Le-

ctione occurrerunt ſubinde, quæq; ad rem maximè facere videbuntur recitabo.

Ipſum nomen quod attinet, illud non eſt idem omnibus Autoribus.

Rhaſes *lib. 3. de Medicament.* Avicenna *lib. 2. tractat. 2. cap. 63.* Petrus Aponenſis Conciliator dictus *Different. 144. p. m. 202. col. 3.* Johan Anglicus in ſua Roſa Anglicana *p. m. 141.* Jul. Cæſ. Scaliger *Exerc. 104. ſcit. 10.* & alii quamplurimi iiq; præcipui habent AMBRA.

Matthæus Silvaticus *in Pandectis capitulo 37.* Ambra vel Ambar Græcè & Latinè, Arabicè verò Hambar.

Serapio *lib. de ſimplicib. cap. 196.* Hambra id eſt Ambra.

Cælius Rhodiginus Ambra Ambar & Ampar. *lib. 28. antiquar. Lection.*

Bernardus Paludanus Medicus Enckhuſanus Ambarum appellat Latinè, Arabicè Ambar, *in Annotationibus ad caput 70. rerum obſervatarum & deſcriptarum in Itinerario in Indiam Orientalem Johannis Hugonis à Lindſchotten.* Jtem Renodæus *in ſuo Diſpenſatorio Medico cap. de Ambaro griſeo. p. 599.*

Cæſalpinus ſcribit: A recentioribus Græcis Ambar, à Latinis Ambarum vocatur; vulgò Ambracane & Ambra griſcia *lib. 1. de Metallicis cap. 34. p. 72.*

Franciſcus Baro de Verulamio habet Ambra Griſia *in hiſtor. Vitæ & Mortis p. 193. & 230.*

Myrepſus videtur ac ſi vellet *ſect. 10. cap. 74.* diſtinguere inter ambar & ambram, quando ſcribit: ℞ Ambaris hexagia duo, Moſchi ℈ij Ambræ hexagia tria. VerumScholiaſtes in opere Principum Medicinæ *p. 570.* habet: niſi codex ſit depravatus.

A Cardano *lib. de ſubtilitate in Indice* dicitur Ambra canis, ab Incolis Patriis Ambracan.

Ludovicus Septalius in Avimadverſionib. habet Ambracam *lib. 9. p. 515. in Editione Clariſſ. Johannis Rhodii.*

Ulyſſes Aldrovandus Patricius Bononienſis, rerum naturalium ſtrenuus memorator de Ambræ nomine ita ſcribit: Ambræ nomen neq; eſt Latinum, neq; Græcum, neq; Arabicum: nam Cani-

Caninius illud reponit inter illa vocabula, quæ Linguæ Syriacæ accepta refert, cum apud illos populos Ambar dicatur: Cæterum, hâc voce simpliciter prolata intelligendum est illud odoramenti genus, quod vulgò Ambra Cane appellatur. Præterea à multis, Ambar vel Ampar caninum dicitur. *lib.* 3. *Musæi Metallici cap. 21. p.* 430.

Joannes Faber in Myrothecio Spagyrico *cap. 26. p.* 42. habet Ambarus.

Sed sit ut sit, dicatur & deducatur fortè aliundè, atq; aliundè, manum do in jus non voco, de Re ipsa est dubitatio, nomen Tibi, quicunq; es adeò fastidiosus, concinnandum relinquo, scribit Cardanus *lib.* 5. *de subtilitat. p.m. 280.*

Proinde locum hic non habet 1. Ambra Veteribus ita dicta, quæ nobis hodiè est Fruxinum Freysing Urbs Bavariæ Episcopalis condita ad Mosacum flumen, quod non procul ab eâdem in Isarum exoneratur. *Zeilerus in Itinerario German. cap. 12. p. 289.*

Neq; 2. Ambrum cujus meminit Ægidius Schudius *p. 561. Historici operis Germaniæ Antiquæ Schardii in Tom. 1.* Siquidem est Ebrodunum Civitas Helvetiæ. Videri etiam potest Cluverius *in Germ. Antiq. cap. 4.*

Neq; 3. Ambra & Amper lacus & fluvius ejusdem nominis juxta Damascum in Vindelicia, quæ Rhætiæ adhæret: Bilibaldus Birckmeierus in Explicatione German. Antiq. *p. 201. dicti Historici operis Germ. Antiq. Tom. 1.* Videri etiam potest Agricola *lib. 3. de Natura eorum, quæ effluunt ex terra p. 260. sub nomine Amra.*

Neq; 4. Ambra dulcis, cujus meminit Carolus Clusius in sua rariorum plantarum historia *lib. 3. cap. 49. de Tragorigan p. 356,* quam plantam nonnulli Clinopodium nominant, pleriq; pro Maro habent, aliqui Helenium Theophrasti esse augurantur.

Neq; 5. Amba vel Ambare arbor & ejus fructus Ambares, cujus meminit Christophorus à Costa *lib.* 3. *de Aromatibi cap. 43. & 52. p. 288.* & Carolus Clusius in histor. plantar. *lib. 2. cap. 17.*

Neq; 6. Ambar, cujus meminit Scaliger proximè citato loco: In Mauritanorum libris hæc inveni Ambar ab Incolis Marocchi & Fez Balænam dici & Ambara, cujus meminit Joannes Leo Africanus,

canus, videlicet, quod ſit piſcis prodigioſæ magnitudinis & qui videri non poſſit, niſi cum emoriatur è mari in littus ejectus: in Deſcriptione Africæ.

Sed illa AMBRA jam pertractabitur, quæ in officinis Pharmaceuticis celebrioribus ad hominum ſanitatem tàm præſervandam quàm recuperandam aſſervari ſolet & refertur inter tria illa odorata pretioſa ſimplicia, quemadmodum ſunt AMBRA, MOSCHUS & ZIBETHUM, quibus optimo jure addi poteſt Balſamus ſive Balſamum de Mecha & Tolu; de quo Proſper Alpinus in Dialogo.

Antequam autem ipſius AMBRÆ definitonem vel potius deſcriptionem dem,commodùm eſſe arbitror, nonnulla neceſſaria præmittere, quæ locùm habere haud poſſunt, atq; ita ex animis tollere prius præconceptas opiniones, neforte in principio ſtatim offenſam quandam ſuppeditem legenti; Fortaſſis invidiam mihi contraxero apud invidos & novitatis accuſabor à ſuperciliosis, ſed novum non eſt, quod affero, (etiamſi ſit) ideò Autorum ipſiſſima verba adduco & Invidiam nihil curo,Rumpantur JliaMomo. Doctorum ſcripta ſemper habui reverenter atq; etiamnum habeo, non tamen coactus, quaſi meliora videns hujus vel illius opinionem non auſim deſerere & ex tot atq; tot uni eidemq; omnium probabiliſſimæ ſubſcribere eandemq; ad Omnipotentis DEI gloriam & hominum ſanitatem adſtruere. Commodùm hîc incidit, quod Beatus Sennertus in indaganda cauſa Convulſionum ſcribit: Etſi calumniis facilè obnoxius ſit, ſiquis à ſententia in omnium libris ferè vulgata ſeceſſionem faciat, tamen ubi de veritate agitur, non quis vel quot aliquid dixerint, videndum, ſed quàm benè quid dicatur, perpendendum: Et quod Scaliger habet *in Theophraſtum de plantis lib. 6. cap. 6.* Lectori ſtudioſo jus erit conſulere veritati, non enim candidorum intereſt ingeniorum cum autoribus pugnare, ſed cum ſententiis conferre ſententias ad communem utilitatem, quæ in ſola veritate eſt, Itaq;.

Primò

Reperitur,qui Ambram nativam dari negat.

Etenim

Etenim ambarum, vulgò griseum dictum, Veteribus vix cognitum nec quicquam factitium ex Ladano, Xyloaloe, styrace & Zybetho credidit Leonardus Fuchsius, sicut id testatur Adrianus Toll commentario in Stœckeri praxin auream *cap. de Epileps.* & Matthiolus *in Dioscorid. p.66.* quando scribit: neq; libet subscribere sententiæ Fuchsii: qui in libro de componendis medicamentis, quam ultimo loco auctum edidit, Ambarum nostri usus factitium esse censet atq; legitimum Ambarum, de quo scripserunt Mauritani, quodq; ipse succini generi adscribit, desiderari, siquidem non video, quibus rationibus vel autorum testimoniis hanc suam comprobet sententiam: Audiatur Silvaticus, qui controversiam dirimit: Sophisticatur quidem cum ligno aloes, storace calamitha & laudano resolutis addito musco resoluto in aqua rosarum & apposita aqua in parva quantitate, sed cognoscitur, quia sophisticata potest malaxari sicut cera, Vera autem non; *in Pandect. cap.37.* Ideoq; quamvis factitia detur, non tamen est neganda nativa apud nos, Id quod ex sequenti historia apparebit manifestiùs, ubi procul dubio Genuina Ambra & non factitia inter Cæsarum dona præsentata est D.14. Maij Anno 1615. Hat ein Türckischer Gesanter Mehemet Kihaja, so bey sich gehabt zehen Goldfarbe Roß / stattlich und prächtig in 50. starck nach Hoff zur Audientz bey Ihr. Käyserl. Majestät Matthias sich begeben/und derselben sechs Türckische Roß / zwey mit Sattel und Zaum mit Perlen gestickt / die andern mit rohten Decken / ein Reygerbusch / darinn ein Kleinod mit Diamanten und Rubinen versetzt / sechs roht besprengte Windspiel mit roten Scharlack/ einem Tappich mit Perlen gestickt / auff einem Roß liegend / so groß daß ein Mann daran zutragen gehabt / zwey Türckische Küssen/sechs Schüsselln mit Bezoar, Bisam, Ambra, Terra Sigillata, Balsam und allerley Raritäten verehret; Mitteran in 22. Buch in Beschreibung derer Niederländischen Historien.

Secundò.

Reperiuntur, qui scribunt, quod Ambra sit spuma maris. Ita quosdam sensisse testatur Idem Sil-

vati-

vaticus in Pandectis & Weckerus *in suo Antidotario speciali lib. sect. 2. p. m. 79.* Et Libavius *lib.* 4. *Singularium cap.* 1. Eò quoq; perventum est, ut spuma maris quædam crederetur. Verum sufficiunt ad hanc opinionem, quæ Garcias ab Horto & ex hoc Weckerus habet. Et hæc opinio ratione caret, quod nullum ambarum inveniatur, ubi frequentissimæ sunt Balænæ & ubi fluctuum reciprocatione spuma plurima excitatur; quemadmodum id quoq; satis demonstratum est â Fragoso in libro de medicamentis ex Indiis in Europam delatis *cap. de Ambaro p.* 89. Scaliger *Exerc.* 104. hæc habet: Balæna dentes nullos, pro iis longissimas virgas habet, crassitudine pollicari, quæ tamen in villos scinditur ac desinit, his subigit maceratq; spumam, unde ali creditur, visæ namq; sunt pinnis ciere fluctus eosq; dirumpere crebris impulsionibus atq; ore excipere, unde nutrimenti vel fides vel suspicio, Nam quantum piscium sit satis ad explendam ingluviem, atq; reponendam corporis immanitatem, neq; molem vorare grandiorem licet eis propter gulæ angustias, aditus enim vix semipedem patet, Minusculi pisces facilè subterfugiunt illius invasiones, flexu enim lento est & ignavo, alii negant alio tempore spumas illas agitari, quam cum in Venerem lacessitur &c. Ubi nulla fit mentio Ambræ: Libavius citato loco *p.* 339. pergit, Repudiantur, qui spumam maris dicunt, quod nihil ambræ existat multis in locis ubi spuma exactissima, Cur dulcis & non salsa foret ambra, si spuma esset? &c.

Tertiò.

Reperti sunt, qui arbitrabantur, quod Ambra sit jecur cujusdam piscis. Id quod testatur Idem Silvaticus in Pandect. & Eichstadius in libello de Confect. Alcherm. *cap.* 15. & Fragosus citato loco, quod Symphorianus Campegius hepar esse cujusdam piscis marini autumet. Verum notum est jecinora præter suum parenchyma ex aliquibus constare venarum & arteriarum filamentis, quarum vel minimam sal-

tem

tem particulam in frusto Ambræ etiam satis magno repertam fuisse usquam, nullus scribit, quantum ego memini, Et verisimile non est eadem jecinora evomi à balænis aliisve beluis marinis sine vitæ noxa, quæ postmodum vel in littus ejiciantur, vel à nautis ad hanc rem attentis in mari colligantur, Et unde quæso rostella atq; conchylia aviumq; ungues aliæq; res quæ quandoq; in ambra reperiuntur, quemadmodum id abundè constat, ad jecinora pervenirent, nisi concedere velimus, aviculis forte insidiari balænas & aucupia instituere in alto mari & conchylia colligere, eademq; rostella sive sint avium sive polyporum sepiarumq; ossicula, ut vult Carolus Clusius *lib. 7. in Garciam ab Horto de Aromatum historia cap.1.* atq; illa omnia ad jecinora ablegare certo naturæ instinctu sine noxâ concoctionis integra & quasi in peculiarem capsulam impacta reponere.

Quartò.

Reperiuntur, qui scribunt, quod Ambra sit sperma Ceti. Sic Hieronymus Cardanus *lib. de subtilit. p. 284.* Creditum est esse semen piscis horrendi monstrosiq; ex Cetaceo genere, cujus caput lapidis referat duritiem (hinc Lapis Manutis ut nonnulli scribunt sed fortè rectius Manati, sicut patet ex Historia Naturæ Joannis Eusebii Nierembergii *cap. 9. lib. 11. ex Oviedo*) Hic in Oceano Oritur ejusq; nomen Ambar. Et J. C. Scaliger, qui rem propius putaverunt, omnes pene aliquid de Balæna esse arbitrantur; Et versa pagina, Qui Balænæ semen esse autumant, è lumbis, quibus hæreat, excipi prodidere: Quæ adducta sunt â Cardano & Scaligero habet Historiale Description de L' Afrique Escrite de nôtre tems par Jean Leon, African, premierement en lanque Arabasque, puis en Toscane & à present mise en Francois: A' Lyon Par Jean Temporal 1556. Avec Privilege Du Roy in folio pag. 383. Titul: Des Poissons.

Ambara, poisson.

Or pour venir maintenant à parler des poissons, Ambara en est un de grandeur & forme é pouventable; lequel ne se peut

veoir si non quand il n'a plus de vie: pource que la mer le jete sur la rivage. Il,a la tête autant dure, comme si elle étoyt de pierre & seu tronve daucuns, qui un vingt & cing toises en longeur, & d'antres d'avantage: tellement, que le nom de balene, ne luy conviendroit pas mal: Ceux qui habitent sur les rivages de l'Ocean, disent, que ce poisson est celvy, qui jete l'ambre gris: mais ils ne savent si c'est du sperme, ou de la fiente.

Addit autem Scaliger: Hoc nondum mihi pro certo est inventum in Venationibus Callaicis & Bajonensibus. Et Nicolaus Monardes lib. de simplicib. medicament. ex novo orbe delatis *cap.7.* Inde convellitur eorum opinio, qui Balænarum sperma esse asserunt, ex eo decepti, quod interdum in Balænarum Ventriculis inveniatur, quæ illud aquis innatans nonnunquam devorant, alimentum esse existimantes. Et Autor non nominatus *in notas Caroli Clusii ad Aromatum Historiam Garciæ ab Horto cap. 1. p.* 243. expressè habet: Vulgo persuasum esse, non sane quod verum sit, sed quod falso id vulgus putavit. Francisci Baconi Baronis de Verulamio sententia hæc est, in Historia Naturali Centur *IX. p. 929.* Quidam censent, ambram ex piscium spermate refundi, sed extra probabilitatis speciem, opinio est, &c. Imprimis notanda veniunt verba Excellentissimi D.D. Schröderi, quæ habet *lib.3. cap. 31.* de spermate Ceti: Est & aliid genus bituminis, quod sperma Ceti Officinæ vocant, alii Ambram subalbidam, alii florem maris seu salis Veterum interpretantur, Germ. Wallraht: Et in notis: Colligitur in mari cui ceu sperma supernatat, cujus autem originis sit, nondum inter se autores conveniunt, sunt enim, qui esse semen volunt à Balæna seu Ceto emissum, sed malè, invenitur enim in locis ubi ne Balænarum quicquam depræhensum, & habet *lib. 5. cap. 77.* de Ceto in notis: Ex hoc animali sunt, qui sperma Ceti officinarum desumi volunt, sed malè, Alii ambram ipsi acceptam referunt, sed itidem falsò &c. Deinceps nulla fit mentio Ambræ, ubi magna balænarum copia est; Benevolus Lector haud gravetur suam concedere benevolentiam in perlegendo piscandi genere balænas in Florida, quam ipsam piscationem ita recenset Joannes Eisebius Nierembergi-

quæ

bergius in sua Historia Naturæ *lib. 11. cap. 60. ex A Costa:* Quo piscationis genere in captandis Balænis, quas Florida numerosas exhibet, Indi utuntur, hoc ferè se modo habet. Canoam seu scapham inscendunt & eam usq; ad dorsum conspectæ Balænæ impellunt, post, Indus è navi super piscis cervicem exiliens & illic aliquamdiu ceu in equo sessitans, opportunum tempus venatur, quo acuminatum palum secum in hunc usum allatum, in ejus narium unam profundius defigere possit, Nares autem hoc loco vocamus ea foramina, per quæ tum aerem bestia introspirat, tum conceptam aquam copiosiùs eructat, succedente ergo primo ausu, arreptis fustibus ac sudibus eam undiq; alacriter contundit Indus: quibus irritatior balæna reddita plagis, immani habitu furere incipit & nunc hûc nunc illûc per vastum mare sese jactat, ingentiq; fremitu magnam aquarum molem in montes excutit: nonnunquam magna succussatione in profundam maris abyssum se demittit, paulò post iterum in aera seu altum erumpit & motus præ insania miros & aspectu horrendos edit, Interim nihilominus Indus ceu expeditissimus eques, in equo suo immotus considet & ut dolorem ferocientis bestiæ ingeminet aut acerbiorem reddat, palum secundum quoq; in nares alteras pisci abstrudit, tamdiu repetitis ictibus incussum, usq; dum omnes trahendi aeris meatus ei præcluserit: Ita probe confertâ re, pisce relicto, in suam iterum insidit canoam, quam secum interim pertraxerat redalligatam: Eâ ergò paullò longiùs à pisce secedit, funemq; quo illum ligavit aliquantò extensiùs remittit, sensim tamen post se nonnihil attrahens, ita piscis, quamdiu profundas aquas habet, mirè furit, suum ductorem lentè insequendo, At in humiliorem locum maris excussus propter corporis inexpediti vastam molem illicò immobilis jacet, nec se prorsum vorsumve movere potest. Hoc viso Indorum magnus numerus prædæ spe, dicto citius approperans, balænam conficit: cujus postea dissectæ carnes viritim ex equo partiuntur, ex quibus resiccatis deinde probam farinam & ex hâc tandem panes longo tempore durabiles pinsunt &c. Eandem historiam Germanico Idiomate recenset Merian vel potius Johan

 Lud-

Ludwig Gottfried / in Historia Antipodum; cujus piscandi modus in figura abeodem ex hibetur: Et de Balænis pugnacibus idem Nierembergius refert *cap. præcedenta 59.* Juxta Insulam Loandam, ad latus maris, plurimæ balænæ conspiciuntur, quæ in se invicem magno boatu insurgunt ac seviunt, adeò ut ob cruentum, quod ineunt prælium, plures sæpè in littore extinctæ reperiantur, Has incoli diligenter per littora conquirunt atq; è pinguedine unguentum quoddam parant, quo naves picis loco illinunt, Quamvis autem hic semper balænæ cernantur, AMBRA tamen hic nulla, non grisea, quam vocant, non candida, non nigra, E quo efficitur non esse Balænarum semen ambram, uti aliquorum opinio est, cum hoc in loco, ubi tanta illorum copia est, ne nomine quidem nota sit. Hæc autem allegasse placuit ideò, quoniam Autor Gallus in HISTOIRE NATURELLE DES ILES ANTILLES de L'Amerique chapitre Vintieme de l' Ambre gris de son Origine & des Marques deCelvy qui è bon & sans melage; liberaliter admodum scribere audet, ad Floridam & aliis Americæ locis ambram copiosè reperiri hisce verbis: L'Ambre gris se tronve en plus grande abondance aus costes de la Floride, qu' en ancune des aotres contrées de l' Amerique.

Sic quoq; juxta Norwegiam in Oceano Deucaledonio & Hyperboreo versus Islandiam & Groenlandiam nihil quicquam Ambræ reperitur: Nam sic scribit Gerardus de Veer, von Amsterdam/in Beschreibung der Holländischen und Seeländischen dreyen Schiffarten nach Mitternacht *p. 182.* im dritten Theil der Orientalischen Indien Joh. Hugo von Lind Schotten / da sie bey Norwegen gewesen: Wir sahen im Meer viel Samen von Wallfischen / viel Schiffgesellen gaben sich auß den Schiffen/hätten Körbe / damit sie Samens schöpfften. Ubi nulla fit mentio ambræ.

Neq; recordor Valerium Cordum libro de halosantho & Gesnerum in Corollario de halosantho quicquam meminisse de Ambra.

Et Laurentius Eichstadius in libello de Confectione Alchermes scribit *pag. 65.* sperma Ceti est mollius nec ita friabile ut ambra &c. Constat itaq; ex allegatis ne tantillum quidem

am-

ambram convenire cum ſpermate Ceti, ſed nimiò plùs potiùs differre, quod ipſum quoq; cujusvis autopſia facile teſtabitur.

Quintò.

Repertos fuiſſe, qui Ambram eſſe fructum arboris ſub mari creſcentis Idem teſtatur Silvaticus in Pandectis, Verum quanquam conſtet ex Odoardi Lopetz navigatione ad Congianos inſtituta, ut refert Pigafetta: Quod in parte Inſulæ Loandæ continenti oppoſita naſcantur in locis humilioribus ſub aqua arbores poſt defluxum maris conſpicuæ, quarum radicibus magnæ adhærent oſtreæ carne pugnum humanum æquante, ſapore jucundo: *in Hiſtor. Mexican. Joan Fabri p. 567.* plantæq; aliæ ac frutices, qui ad arborum figuram aliquo modo accedere videntur, ſub mari creſcant & reperiantur, ut ſunt Quercus Marina Theophraſti, frutex marinus Erucæ facie, teſte Carolo Cluſio & Corallium in ramos pro naturæ voluntate nunc plures nunc pauciores ſingulari atq; amabili venuſtate ſeſe diffundat & propterea etiam à plurimis frutex vel arbor ſalutetur, Ideo tamen de certitudine arboris Ambram ferentis nihil concludere licet.

Sextò.

Reperiuntur, qui Ambram Camphoræ ſpeciem eſſe ajunt: Quod ipſum aſſerere conatur Averroes 5. *Colliget. cap. 56.* Cui adſtipulari videtur Cæſalpinus, quando *lib. de Metallicis. cap. 33. p. 71.* ita ſcribit. Nec injuria fortè Averroes inquit, Camforæ genus eſſe, quod naſcitur in maris fontibus, aquis innatans, quæ Ambra dicitur, ex genere ſuccini: Verum repræhenditur à Weckero, quod ejus opinio à Veritate ſit aliena & tanto Viro inſigniq; Philoſopho indigna ſitq; clarius, quam

ut

ut multis demonstrari debeat, primùm quod Caphuram in mari nasci dicat, deinde quod eandem, quæ frigida est & sicca tertio gradu, Ambari genus faciat, quod calidum & siccum statuit secundo ordine *lib. 1. Antidotarii special. sect. de Marinis.* Hæc ille: Quibus & hæc forte addi possunt, quod Camphora tenuium sit partium & propter earundem volatilitatem facilè evanescat, nisi semine lini vel pipere addito, quasi nutriatur semper, & ita conservetur, Ambra non item: Et Septalius *in Animadversionibus Medicis* scribit: Non est recipienda sententia patrum commentatorum Mesues, quam Calestanus adeò mordicùs defendit, ambræ camphoram æquali pondere addentium cum Legatur ambracam: (cujus est mentio facta supra in nominis appellatione) dictionem postremam, Cam, Camphoram explicantes, Cum Cam Epithetum optimæ ambræ sit, vel communi omnium loquendi modo receptum: *lib. 9. num. 146. &c.* Præterea de Camphora constat, quod illam fundat arbor caphura dicta: testantibus Joan Eusebio Nierembergio in Histor. Naturæ *lib. 14. cap. 39. p. 314.* ex Francisco Hernando & Excellentiss. Mœbio Prof. Publ. Jenens. in Anatomia Camphoræ. De Ambra non.

Septimò.

Reperitur qui asserere conatur, quod Ambra sit species Naphthæ. Ita sentit Nævius in Consiliis à L. Scholtzio collectis, *Consil. 225.* Puta Ambram non esse ex piscibus ut quidam opinantur, sed ex naphthæ genere, quod succinum Orientale demonstrat, moschum & ambram olens &c. Verum Naphtha 1. est colamen Bituminis Babylonii 2. est consistentia liquidum. 3. est ignis rapacissimum, quemadmodum testatur Excellentissimus Schröderus in sua Pharmacopæja, quod de Ambra dici nequaquam potest.

Octavò.

Repertos fuisse, qui Ambram esse gummi quod-

quoddam arbitrabantur, teſtatur ſæpius citatusSilvaticus. Verum Gummata ſunt concreti liquores, aqueis faciles ſolutu, profuſi tum ex ſtirpibus, tum ex arboribus excelſis; Namq; ſic *Gummi Arabicum* manat ex arbuſcula, quam Dioſcorides Acaciam nominat. Sic *Anime* ex arboribus quibusdam proceris inciſis in nova Hiſpaniola exſtillat. Sic *Aſa fœtida* eſt Lachryma Laſeris in Media, Lybia ac Syria. Sic *Benzoe* ſtillat ex arboribus certis, magnitudinis proceræ quo ad corticem ſauciatis, Sic *Caranna* affertur ex Carthagine Indiæ Occidentalis ſeu novæ Hiſpaniæ provincia, ubi ex vulnerata arbore elicitur. Sic *Elemi* aſportatur ex Æthiopia, ubiſtillat ex arbore, quam oleam nonnulli volunt, alii cedrum. Sic *Copal*, Sic *Galbanum*, Sic *Maſtiche*, Sic *Myrrha* cum ſua ſtacte, Sic *Opium*, Sic *Opopanax*, Sic *Sagapenum* Sic *Sanguis Draconis* Sic *Sarcocolla* Sic *Storax Calamita*, Sic *Tacamahaca*, Sic *Tragacanthum* Sic *Olibanum & Thus* ex ſuis ſibi propriis exſtillant & eliciuntur arboribus &c. Quæ omnia Excellentiſſimus Schrōderus obfirmatè paſſim recenſet in ſua Pharmacopœja ex præſtantiſſimis & probatiſſimis autoribus, Garzia videlicet, Matthiolo, Cordo, Monarde, Dioſcoride, Cluſio, Fragoſo, Cæſalpino, Lobelio, Bellonio, Dodonæo, Tabernæ Montano & aliis; Itaq; cum nondum conſtet ex quanam arbore vel frutice, hujus vel illius Regionis, Ambra proveniat, aſſenſus videtur eſſe differendus, Refert quidem Alexander Geraldinus in India Epiſcopus in Itinerario ſuo ad Pontificem Leonem X (quod ipſum Jtinerarium Onuphrius Geraldinus Auctoris AbNepos edidit Romæ An. 1631.) *p.175.* Damniana, Panniani Soli civitas maxima eſt, per medium cujus flumen à Nilo ortum labitur, ibi latiſſimæ Valles, ibi altiſſimæ arbores, vellera nobiliſſimi ſerici per folia tenentes, ibi per colles odoratæ paſſim arbores ſe retegunt, quæ quadam parte anni ſudorem per internodia emittunt, quem poſtea coagulatum per ſancta deorum templa adolent, cum ſuaviori longè adore, quam ipſa thura &c. Verum à Geraldino. Ambra vix indigitatur, cum eâ ratione pervenire & repiri haud poſſit in Oceano Æthiopico &

Indico, cum tamen in his & eorundem circumcirca littoribus imprimis inveniatur, quemadmodum infra pluribus demonſtrabitur, ſed potius benficio fluminis à Nilo orti pannianum ſolum & Civitatem Damnianam per labentis in mare mediterraneum devolveretur, ubi tamen inveniri nullibi ſit mentio. Ex Libavio addere libet, quæ habet *lib. 4. Singularium cap. 2. in Scholiis p. 320.* Mira eſt Ambræ natura non ſtatim indurari, poſtquam eliquata eſt, cum tamen id faciant cæteræ reſinæ liquabiles, ut & pix & cera.

Nonò

Reperiuntur qui ſcribunt, quod Ambra generetur in mari in ſpeciem fungorum & à fluctibus maris in littus ejectari ſoleat. In hâc Opinione non ſolum fuit Avicenna *lib. 2. cap. 63.* ſicut ſcribit weckerus, cujus ſententiæ tamen non in omnibus editionibus ſit mentio, allegat autem Autor non nominatus eundem Avicennam in notis in notas Caroli Cluſii ad Garciæ ab Horto Aromatum hiſtoriam *p. 243.* his verbis: Quod autem à fluctibus maris in littus ejectari ſoleat præclarè oſtenderat Aviſenna, ideò nos illa ex Codice Arabico converſa retulimus. Et Serapio *lib. de ſimplicibus cap. 196.* Hambra id eſt Ambra dicitur, quod naſcitur in mari & generatur in eo ſunt generatur ſpecies fungorum in terrâ & quando mare turbatur, ejicit à fundo ejus lapides magnos & cum iis ejicit fruſta ambræ: Sed & ipſe Scaliger *Exerc. 104. ſect. 10.* Cum tot ſeculis nulla in Balænis ambra viſa, facilius inclinat animus, ut credamus fungi eſſe ſpeciem, cortice ſiquidem obductam vidimus, nec ſine ſquammularum veſtigiis, ut in fungo vetulo, intus globulorum cohæſionibus potius accedit ad tuberum naturam quorundam, quæ papillatim concreta ſunt: Et in fine hæſitanter: Si quid ad perſuaſionem facere poteſt, illud huc adducendum cenſui, In Rutenis fungillos naſci perpuſillos valdè odoratos, ad Pyrenæos etiam odoratiores, quos Moſſerons vocant,

cant, Verum Serapionis verba vix ſunt attendenda, nam 1. nondum probatum eſt in mari naſci ambram & 2. generari in eo ſicut ſpecies fungorum in terra, ſed potius ſibi invicem contrariantur fungi & Ambra, Nam fungi facile putreſcunt,ranceſcunt & magno labore exſiccati, ſitu & carie corrumpuntur, ambra non item, ſed ambra laudatiſſima potius à putredine, ſitu & carie conſervat & odoris fragantia vitales Spiritus egregiè meherclè recreat reficitq;. Scaliger ſi per Moſſerons intelligit Muſcari, illi ſane non ſunt fungi, ſed 1. ſunt flores. 2. habent folia. 3. habent bulbos. Fungi non. Odoris fragrantia imitantur quidem quadantenus Muſcari Moſchum, quemadmodum & Cyanus Moſchatus & Geranium Moſchatum & AbelMoſch &c. Ideò tamen non ſequitur 1. Ambra eſt fungus. & 2. Creſcit ſub mari. Fungus Scaligeri puerile figmentum eſt, ſcribit Libavius *lib.* 4. Singularium *p. 345.* videndum an ſub mari naſci queat fungi plantia. Non quod foris aliquid ſimile habet, ſtatim eſt idem. Concedimus in India naſci plantas odore fragantes. Sed talis fungus nondum eſt conſpectus. Nec fungi cadaver quidem. In Rutenis fungillos naſci ait perpuſillos valdè odoratos, & ad Pyrenæos odoratiores, quos Moſſerons vocent. Sed nihil hoc facit ad perſuaſionem, monſtrandi ſunt in mari Æthopico & Indico &c.

Decimò

Reperitur Andreas Cæſalpinus, qui Ambram gemmam quandam eſſe autumat, quandò ſcribit *lib. 1. de Metallicis cap. 34. p. 72.* Forte non erraret, qui diceret (loquitur de Ambra) vocari Aromatitem Plinii, quam inter gemmas repoſuit: Hanc ſententiam fovere Cæſalpinum teſtatur Aldrovandus in Muſæo Metallico *lib. 3. cap. 21. p. 431.* illa fortè ratione ductus, quod Plinius ſcribit Aromatiten gemmam myrrhæ odorem redolere *lib. 37. Hiſtor. Natural. cap. 10.* Verum Cæſalpinus ſibi conſtare non videtur, quando *lib. 2. cap. 36.* de Onyche *p. 121.* ita ſcribit: Alia eſt gemma Samotracia apud Plini-

Plinium ex Insula ejusdem nominis nigra ac sine pondere ligno similis, Hæc hodiè Ambra nigra vocatur copiosa in Compostella; ex qua conficiunt imagines S. Jacobi, Compostellani, quas peregrini ferunt relegionis gratia; globulos etiam formant ad Coronas præcarias: Sed fortè ab Ipso Cæsalpino Aromatites gemma ad succini seu Gagatis potius species rectius refertur *cap. 28. lib. 2. de Metallicis p. 113.*

Undecimò

Reperitur qui scribit, quod Ambra sit verum & nativum Sulphur. Ita sentit & scribit Trium Cæsarum Romanorum Medicus Crato *in Consiliis à Laur. Scholtzio Collectis columna. 1093.* his verbis: Hoc silentio minimè præterire debeo, Sacræ Cæsareæ Majestatis Maximiliani II. Augustam Conjugem Mariam Caroli V. filiam Dominam meam Clementissimam, ambram mihi donasse, quam ego pro vero & nativo sulphure habeo, cum & ardeat incensa & maculas sulphureas habeat. Verum facilè conceditur plus participare de sulphure, si in principia Chymica resoluta consideretur, quam de sale, cum magis olfactus quam gustus organon afficiat suavibus suis & amicabilibus exhalationibus suasq; facultates earundem subtilitate amplius diffundat, Et quamvis incensa arserit & sulphureas vel potius flavas habuerit maculas (de sulphureis autem maculis aliàs nemo quicquam habet, quantum ego memini) exinde tamen non concludendum, quod sit verum & nativum sulphur: Libavius *lib. 4. Singularium cap. 5. p. 340.* ad hanc Cratonis opinionem ita infert: Libenter credimus tanto Viro asserenti suam ambram arsisse ut sulphur; sed nulla autoritas dignitasq; alioquin satis est ad cavendas omnes imposturas, Quid si aliud quid fuisset quam ambra?

Duodecimò.

Reperiuntur, qui scribunt, quod Amba-

rum

rum ſit terra: Sunt qui exiſtimant eſſe Inſularum aliquot ſive rupium partes, quas mare undis tectas habeat, quæ ſubinde tempeſtatum impetu avellantur. Nam partibus ſæpenumero natat 10. aut 12. viro 50. & 60. palmarum, Ita ferunt aliquando integras reperiri Inſulas ex Ambaro, quas cum repetere vellent illi, qui antea naves oneraverant, nullas invenere: Johan Hugo à Lindſchott *cap. 70.* Germanica editio *pag. 59. parte 4ta* habet, Etliche meinen es ſey eine ſchwåmmichte Erde &c. Hæc mea eſt opinio, veluti pro regionum natura, terra interdum rubra eſt, ut Bolus Armenus, interdum Candida ut Creta, nonnunquam nigricans, ſic veriſimile eſt aut Inſulas aut terras ſimilis cum Ambaro formæ inveniri, quod terra ſit aut fungoſa, aut alterius generis, quod verum eſſe teſtatur magna ejus quæ reperitur quantitas, Siquidem inventa ſunt interdum fragmenta humanæ magnitudinis, interdum nonaginta palmarum latitudinis: Affirmarunt nonnulli, ſe Inſulam ex puro Ambaro vidiſſe, quam poſtea requirerent, nuſquam comparuiſſe, Anno 1555. Circa promontorium Comorim quod è Regione Inſularum de Maldiva eſt, fragmentum trium ferè millium pondo repertum eſt; ſed cum is qui invenerat picem aut bituminis genus eſſe exiſtimaret, vili admodum vendidit; maximum verò, quod unquam viderim fragmentum, quindecim liberas pendebat: Sed qui in Æthiopiam commercii cauſa navigant, multò majora fragmenta ſe vidiſſe affirmant, totus enim ille Æthiopiæ tractus à Sofala ad Brava uſq; Ambaro abundat, ſcribit Pro-Regis Indiæ Medicus Garcias ab Horto *lib. 1. in Aromatum Hiſtoria cap. 1.* Et ex eodem aliquoties citato loco Weckerus, Garciæ quadantenus adſtipulatur Renodæus in Diſpenſatorio: Eâ generali acceptione, cum bitumem poſſit etiam dici terræ ſpecies, non illius veriſimilitudinem impugno, Et revera nonnulli terram pretioſam vocant. Terræ fungoſæ pinguiſq; genus ob fragmentorum amplitudinem Occo appellavit, referente Libavio in Singularibus *lib. 4. cap. 1.* Quam autem hæc opinio ſit veritati conſona exinde eluceſcit, quoniam iſti terræ nullus certus aſſigna-

tur locus, dum nunquam fit mentio ab autoribus, ubi effodiatur aut reperiatur, quemadmodum Bolus Armenus, Bolus Bohemicus, Creta, ab Insula Creta sic dicta, Catechu seu terra Japonica, (quanquam de hâc nondum constet an sit terra simplex vel aliquod compositum) ab Insula Japan, Terra Lemnia, Terra Melitea, Terra Silesiaca &c. Et si esset aliqua terra atq; ejusdem integræ darentur Insulæ in longe minori fortè esset pretio; Deinde terra acu perfossa vix resudat & oleaceum liquorem mittit quæ tamen pro præcipuis notis habentur melioris Ambræ. Cardanus *de tuenda sanitate p. 318.* scribit: Et quamvis Insulas & moles in mari Indico Ambaris esse glorientur, ad fabulas, ut reor usq;, certum tamen est, magis deesse rem quam usus rationem: Præterea Libavius citato loco *p. 342.* De Insula ex ambra pura, quæ interdum pateat, interdum evanescat, videntur anilia narrari. In Historia Mexicana à Joanne Fabro etiam hæc habentur *p. 571.* De Insulis ejusmodi Ambarinis F. Gregorius nihil sibi unquam visum nec auditum fuisse sanctè mihi affirmavit. Posse ingentia Ambræ pondera interdum mari innatare non absurdum putamus, quæ hyperbolicè Insulæ dici queunt.

Decimotertiò.

Peperiuntur qui scribunt, quod Ambra ex quodam fructu ad maris littus nascente fiat: Id quod patet ex Nicolao Monarde, quando *lib. de simplicib. medicamentis ex novo orbe delatis cap. 7. p. 301.* ita scribit & decidit: Non desunt qui Ambar ex fructu quodam ad maris littus nascente fieri dicant, qui Aprili & Majo Mensibus maturescit & odoratus est, quem decidentem vorant balænæ, quasi fructus in alimentum cedens, aliud quam sanguinem & Carnem generare possit: Carolus Clusius Exoticorum *lib. II. in Indicarum Plantarum Historia cap. 17.* de Ambare hæc habet: Fructus est hîc in India, Ambare vocant, nucis magnitudine, nullius in Medicina usus, sed eo solent cibos condire ut palato gratiores reddantur: maturus enim odoratus est, gratamq; aciditatem retinet,

carti-

cartilagineo quodam integitur cortice virefcente, dum immaturus eft; at in maturo fulvus color: Chriftophorus à Cofta exactius defcribit *in libro fuo de Aromatibus cap. 52. p. 288.* Craffa magnaq; eft hæc arbor foliaq; habet juglandis foliis magnitudine refpondentia, fed non ejus formæ, dilutius virentia & multis venis elaborata, quæ illis magnam gratiam addunt, flores exiguos, candidos, fructus juglandis nucis magnitudine virentes & cortice quam illa læviore, odoris gravis & guftus acerbi, dum adhuc virent, coloris verò flavi in maturis, gratiores odoris & faporis gratâ aciditate commendabiles, medullam continentes cartilaginofam & duram è duris nervis obliquè intertextis conftantem, hanc arborem appellant Canarini Ambare, fructum Ambares, Perfæ Ambereth, Turci Harb, Lufitani Ambares, quemadmodum Canarini: propter fructus gratam aciditatem omphacii feu agreftæ loco cibis admifcent, maturum ex Sale & aceto edunt, excitat enim edendi appetitum, unde adverfus biliofos humores utilem effe perhibent, Sale & aceto conditus diu confervari poteft: hujusq; Chriftophorus à Cofta, Sequentia addit Carolus Clufius citato loco. Conduntur in Cadis ut apud nos olivæ, fed funt longe meliores &c. Exinde patet fructum illum Ambares, nullam planè habere cognationem cum fuaviffima Ambra fed faltem, fi forte obviam veniant, balænis alimentum fuppeditare.

Decimo quartò.

Reperiuntur, qui fcribunt, quod Ambra fit manatio fontis in mari ad inftar bituminis:

In hâc opinione fuit Simeon Sethi tefte Adriano Toll fuperius citato loco & Cardanus *lib. 5. de fubtilitate p. 28.* Camphora, fuccinum & ambra è bituminis genere funt, atq; eà de causâ etiam fiquid horum fluat ex arboribus, nil prohibet, quin etiam ei fimile interræ vifceribus generetur.

Et Avicenna *lib. 2. Tract. 2. cap. 63.* Ambra fecundum quod exiftimo, eft manatio fontis in mari.

Et

Et Georgius Agricola *lib. 4. de natura fossilium cap. 5.* consentit. Rectius Avicenna & Pselus ipsam Ambram in mari effluere è fontibus sentiunt. Et lib. de natura eorum, quæ effluunt è terra *cap. 17.* Est bitumen quoddam, quale emanat ad maritimum Arabiæ Felicis oppidulum, quod Sichrim appellant, Id ipsum etiam concretum Arabes Ambram vocant.

Et Reinerus Solenander in suis libris de caloris fontium causa.

Et Bertinus *lib. 18. cap. 13.* Ambra seu Ambar est liquidum Bitumen, suave, odoratum.

Et Libavius *lib. 4.* Singularium: Verior sententia defluere de fontibus in mare & ibi induratum ejici in littora.

Et Garcias ab Horto *lib. 1. de Aromatib. cap. 1.* Ambarum Bituminis modo ex maris alveo emanare, hæc opinio melior & veritati magis consona plerisq; visa est.

Johannes Hugo à Lindschotten in Navigatione ac Itinerario suo in Indiam Orientalem *cap. 70. p. 75.* scribit: Ex fonte aliquo, aut ipso maris fundo suis locis glutinoso, haud inani argumento creditur fluere. Cum Lindscotano consentit D. Paludanus in annotationibus: Ambarium Latinè, Arabicè Ambar, picis quædam est species (ut & meritò autor ait) ex certis fontibus alto in mari existentibus ejectum. Id soli expositum mox duratur, ut alia, quæ ex mari proveniunt.

Et Adrianus Toll in commentar: ad praxin Auream Stôckeri *cap. 3. de Epileps. p. 22.* Verissimè bituminis quoddam genus est, ex maris fontibus & alveis, pro cellarum vi in littus eructatum, quod aeri expositum illicò densantur, ut solent pleraq; alia, quæ sub aquis adhuc tenella molliaq; sunt, aquæ verò eruta exsiccantur & in durantur, ut Corallium, succinum.

Idem sentit Nicolaus Monardes de simplicium Medicamentorum historia *cap. 7.* Varia est circa ejus originem opinio, sed verissimum Bituminis genus esse ex fontibus in alto mari manans, quod aeri expositum illicò densatur, ut solent pleraq; quæ sub marinis aquis tenella & mollia sunt, at aqua exempta duran-

durantur, ut Corallium, Succinum. Idem existimat Julius Cæsar Baricellus in hortulo suo Geniali p. m. 287.

Paulò speciosiùs scribit Joh. Eusebius Nieremberg *lib. II. Historiæ Naturæ cap.* 59. A solertibus naturæ indagatoribus observatum est, ambram habere suas scatebras & fontes in mari, è quibus hic succus terræ emissus instar petrolei vel halosanthos profluit, & posteà densatur ut asphaltum vel succinum, ideoque in numero bituminum rectè ponitur *p.* 64.

Præterea in Francisci Hernandis Medici in Indiis præstantissimi Nova Plantarum, Animalium & Mineralium Mexicanorum Historia à Nardo Antonio Reccho in ordinem digesta à Joanne Terrentio, Joanne Fabro & Fabio Columna notis & additionibus illustrata & Romæ Anno 1651. excusa, adeoque haud ita pridem, equidèm satis prolixè de Ambra agitur, itidem tamen statuitur: Ambram non esse aliud, quàm Bitumen & quoddam veluti terræ excrementum, quod ab ejusdem visceribus in maris abysso in mineralibus innata expellitur: quod ipsum p. 572. ulterius asseritur.

Atque complures alii, iiq; præcipui, quos omnes jam commemorare supervacaneum duco.

Verùm sunt sine certitudine nudæ conjecturæ: Nam nunc ajunt esse manationem fontis in mari ad instar bituminis, nunc ajunt scopulorum & cautium radicibus Spongiformi & molli adhærescere substantiâ, nunc ajunt esse Terræ succum, ut Eusebius, nunc esse Terræ excrementum, ut patet ex Historia Mexicana, nunc, quòd Ambra quasi integra sit pinguedo, nunc oleum Concretum ut Cardanus, quid ergò tandem aliquando fiet! Locum hic habet illud Hispanorum proverbium: De Luengas Vias Luengas mentiras: Et conqueri hîc possent, de quo Scaliger conqueritur in Gazelæ & Moschi descriptione de scribendi periculo, quando fides nostra ex aliorum sæpenumero pendeat mendaciis: *Exerc.* 211. *n.* 3. Nam vix credidero Simeonem Sethi & Avicennam ac suæ opinionis adstipulatores suis oculis ad maris abyssum penetrasse, illamque manationem observasse; Itaque quâ facilitate asseritur, eâdem facilitate rejicitur, videlicet quando nulla planè subest probabilitas, nedum relationis alicujus, aliqualis saltem certitudo. De succino quod adfertur exempli loco, adhuc sub judice lis est,

num in mari mollescat, & ex mari demum induretur, cum etiam alibi extra mare repertum fuisse satis constet, & habitâ quâdam disputatione publicâ in Academia Regiomontana (ubi succinum satis copiosum est) inter lapides potiùs referatur, sed illam ego litem non facio meam, Nam, quod concernit generationem suam, illa hûc non spectat, inter omnes tamen, quas reperi Autorum opiniones, arridet imprimis illa, quam fovet Ruellius in Natura stirpium *lib.*1. *cap.*40. *p.*114. *&* 115.

Decimo quintò.

Reperiuntur, qui scribunt, quod Ambra sit succinum: Sic enim Cæsalpinus *lib.*1.*de Metallicis cap.*34.*p.*72. Ambra vulgò nomen commune est ad omne succinum. Privatim autem apud Arabes medicamentum est odoratissimum à Recentioribus Græcis Ambar, à Latinis Ambarum vocatur, vulgò Ambra Cane & Ambra Griscia, Hermolaus Barbarus primus succinum Orientale vocavit. Et Georgius Agricola lib.4.de Natura fossilium *cap.* 15. scribit: Tam Arabicum succinum, quàm Asiaticum Mauri appellant ambram. Et Reinerus Solenander de caloris fontium causa: Non alia ferè in Re differunt, quam quod in diversis gentium Regionibus oriantur & concrescant: ea sunt succinum, quod Græci ἤλεκτρον vocant, & Arabum Ambra: Hæc in Arabia Felice ad Sichrim (ut scribunt) oppidulum maritimum ex liquido bitumine coloris è cinereo candidi concrescit, illud ex eodem bitumine è Saxis in Germanicum mare profluens atque ibi indurescens succinum (quod quasi è succo fiat) appellant. Quò inclinat Uffenbachius Francofurti ad Mœnum Ordinarius quondam Medicus, qui ad Wirsungi Medicinam meminit, quod Ambra sit delicatus & suavissimi odoris succus vel ex terra quidam proventus.

Secundum Bertinum *lib.*18. *cap.*13. nuncupatur Succinum Asiaticum seu Africanum.

Leander Albertus in Descriptione totius Italiæ Tit. de Liguria *p.*14. scribit: Lingurium item, quod Electrum aliqui vocârunt, nonnulli ambram, abundabat. Hæc ille. Verùm hîc duplex fit confusio,

fusio, primò confunditur Ambra cum succino, & deinde succinum cum Lyncurio. Dum Ambra ab aliquibus Autoribus succinum & quidem Africanum appellatur & Lyncurius lapis, succinum, propter colorem & pelluciditatem, cùm tamen toto cœlo differant. Sed hæc obiter.

Et Matthiolus citato loco in Opinione prima scribit de Fuchsio, quòd legitimum Ambarum, de quo scripserunt Mauritani, ipse succini generi adscribat.

Et in Opere Historico Germaniæ Antiquæ Schardii de Effluviis Suevis *p.*170.*cap.*25. in Cornel. Tacitum hæc habentur. Cæterum ut cum succino convenit ambarum, quod & Ambra & Ampar profertur ex Ætio non est obscurum, qui & materiam ejus subindicavit, cum illud multis in locis aut sulphuris aut bituminis modo scaturire pronunciet, & Selachiticum à Municipio quodam Indię vocatum, ubi scaturit, cum ibidem sit subalbidum, aliis anteponat, in Officinis Indicum ferè Ambra Chrysea, nostra verò Citrina appellatur, Gallis etiamnum eadem consuetudo permansit. Hæc de communibus appellationibus succini satis sunt.

Et Johannes Monardus in Composita Mesuæ ad confectionem Galliæ Moschatæ *p.*420. Ambra Canni est Epitheton ambræ, quæ à Recentioribus Græcis ambar dicitur. Ex nostris fuêre, qui succinum Orientale vocarunt &c.

Verum succinum est pellucidum, Ambra non. Succinum ad maris littora quidem invenitur, attamen etiam è terra effoditur, quemadmodum Rondeletius, Celeberrimus Medicus & Philosophus Charabe extractum habuit ex montibus Pyrenæis, in cujus alterâ parte fuit Charabe, in alterâ Gagates Lapis, ut scribit Gœbelius *lib.*2.*de succino p.*17. Ambra non. Nam neque ex terra effoditur, neque in montibus reperitur. Succinum duriusculum est, adeò ut inter gemmas referatur à Francisco Rueo *lib.*2.*cap.*26. in tractatu de Gemmis aliquot iis præsertim, quarum Divus Johannes Apostolus in sua Apocalypsi meminit: atque ex eo componantur altaria, pocula, candelabra, arçulæ, statuæ &c. Ambra non: In succino aqua conspicitur, quæ decrescente Lunâ decrescit, & accrescente Lunâ accrescit: Johan. Bartholomæus Crügerus Prof. Med. Publ. in Academ. Regiomont. Disputat. de Succino. In Ambra non. In succino

 repe-

reperiuntur festucæ, alga, herbarum stipites, folia arborum, culices, muscæ, formicæ, de quibus testis est Martialis lib. 6. n. 15.

Dum Phaëtontea formica vagatur in umbra,
Implicuit tenuem succina gutta feram.
Sic modò quæ fuerat vitâ contempta manente
Funeribus facta est, nunc pretiosa suis.

araneæ item, erucæ, pisces & ova piscium ipsi involuta reperiuntur: ut scribit Aurifaber in succini historia: In Ambra non: In succino Rana reperta est & Lacerta, sicut scribit Daniel Hermannus Prussus in Discursu Philosophico:

Aspicis ut stet adhuc illæso corpore Rana
Rana gerens viridem ceu nuper nata colorem
Ut pedibus distenta est? ut torvumq; tuetur
Lumine distorto? Et saltum velut usque minatur
Et quasi contendit patulas exire per auras
Abnegat Electri massa indurata regressum.
Frusto alio exiguos tremebunda Lacerta Lacertos
Ne quicquam extendit, sinuatq; volumina caudæ
Tortilis: & squamæ apparent per terga minutæ
Et parvi unguiculi; deformes pandit hiatus
Os, in agone olim luctâq; in mortis apertum
Quando animam evomuit crebris singultibus actam.
Sanguinis hinc sparsi vestigia viva supersunt.
Heu misera ut voluit caveam evitare futuram?
Svavis odor pinguis terræ penetrare cavernas
Impulit: hîc illam liquido implicuitq; Electro
Vix ambas melius Cous depingat Apelles.
Viva repræsentant sic viva membra colores
Felices ambæ: atque æterno nomine claræ
Quas talis succus tumba tumulavit odora
Nobilius nullum poterant reperire sepulchrum &c.


Cujus utriusque apposita figura videri potest p. 465. lib. 4. Consil. & Epistolar. Medicinal. Cratonis Francofurt. editar. Anno 1593. in Octav.

Et Vipera. Nam sic Martialis lib. 4. n. 159.

Flen-

Ad pag. 28.

Rana et Lacerta Succino Prussiaco insitæ



Flentibus Heliadum ramis dum vipera ſerpit
Fluxit in obſtantem ſuccina gemma feram.
Quæ dum miratur pingui ſe rore teneri
Concreto riguit vincta repente gelu.
Ne Tibi regali placeas Cleopatra ſepulchro
Vipera ſi tumulo nobiliore jacet.

In Ambra talia non inveniuntur : Contra verò Ambra bibula eſt, nam diſſolvitur non quidem ſpiritibus vel aquis deſtillatis, neque etiam vino, *ſed potiùs* guttulis aliquot olei appropriati & deſtillati: Zwölfferus in Animadverſionib.ad Pharmacop.Auguſt. ad pulver. pro ulcerib.gutturis *p.*165. *col. a.* Succinum non. In ambra roſtella avicularum inveniuntur, conchylia item & oſtrearum teſtæ & Osſicula de ſepiis ac avium unguiculi aliæque res ut lapilli, *teſte Olao Wormio in ſuo Muſeo*, quemadmodum pluribus demonſtrabitur & ratio dabitur infra in Quæſtionibus: In Succino non. Et quantum Odor Ambræ differat ab odore ſuccini non opus eſt, ut pluribus jam deducatur, cum ſenſus unumquemque illud ipſum docere ſatis posſit. Deinde verò, quòd ſuccinum attrahat ad ſe paleas & folia arida, ut magnes ferrum, ſcribit Eraſmus Stella in Bo-Borusſiæ Antiquitatib.*lib.*1.*p.*517.de Ambra ſcribit hoc nemo, quantum ego memini. Addenda quoque hîc veniunt, quæ habet Agricola *lib.*4.*de natura fosſil.p.*494. M.Paulus Venetus aſſerit in Balænis ad Inſulam Madagaſcar inveniri (loquitur de ambra) ut fortè invenitur, tametſi in noſtris piſcibus repertum eſſe ſuccinum, neſcio. Et adjicere placet verba Libavii, *quæ habet lib.*4.*ſingularium cap.*4.*in ſcholiis p.*334. Si quis Salem & Chalcanthum adimere poſſet ſuccino, ambram faceret: Verum (quemadmodum ipſe Libavius ſcribit *eod. lib. p.*313.) luxuriare ſolent mentes acumine ſpeculationum.

Decimo ſextò.

Reperiuntur, qui Ambram eſſe excrementum beluæ cujuſdam marinæ referunt. Ita quoſdam ſenſiſſe teſtis eſt Silvaticus in Pandect. Et Libavius in Singularib. lib.4. cap.1. Aliqui putant, ex cibis in ipſo gigni & vel adipem eſſe

vel excrementum alvi, huc respiciunt, qui Electrum ab ipso pisce voratum nobilitari scribunt, fortassis quo pacto animal Zibetti, Caprea Moschi, Martes & congeneris odoris exhibent medicinas p.305. Et idem innuit Joan. Eusebius Nierembergius in Historia Naturæ *lib.7. cap.64.* de medicamentis ab animalibus desumtis, dum hæsitanter scribit: Quid jam opus esset addere, si excrementum Balænarum ambra fuisset. Et Avicenna lib.2. tract.2. cap.63. & Adrianus Toll commentar. in Stockeri praxin auream cap. de Epileps. *p.*23. dum ita sentientes refutant. Illud quod dicitur, quod ambra sit excrementum animalis maris longinquum est. Et quamvis in Balænæ Ventre magna aliquando quantitas reperiatur, non propterea æstimandum in ventre balænæ genitam, cum forsitan in fluctibus attigerit & ingesserit. Nam absurdum est arbitrari illius excrementa ac pravam illuviem ambram esse, cum ea etiam optima à balæna devorata bonitatem ac suavitatem amittat. Et Hieronymus Megiserus in Descriptione Insulæ Madagascar sequentia habet: Andere halten dafür/ Es sey der Wallfische Excrementum Koth und Mist / welcher Meynung auch Avicenna gewesen / diesen kan man objiciren / so der Ambar der Wallfische Sperma oder Excrementum sey / wie es denn komme / daß man weder bey Bajona in Franckreich / noch bey Biscaja in Hispanien nie kein Ambar findet/ oder jemals gefunden hat / da doch an selben Orten am Ufer des Meers täglich grosse Menge der Wallfische gesehen und gefangen werden ꝛc.

Præterea Eduardus Lopetz & Augustinus Casiodorus in Descriptione Regni Congo *p.*10. sequentia referunt: Auff den Häuten d. Wallfische wachsen mancherley Art von Fischen und Schalen / als Muscheln/ Schnecken und dergleichen / und der Herr Eduard saget es für eine gewisse Warheit / als der es offte gesehen / und er hielte auch die Ambra nicht von diesen Fischen / wie man gemeiniglich vermeynet / herkommen / denn in der gantzen Gegend des Königreichs Congo, da sich doch ihrer eine ziemliche Menge auffhält/ wird weder die graue/ schwartze oder weisse Amber gefunden / denn wenn sie von den Wallfischen ihr Herkommen solten haben / würde man sie überflüßig von wegen der Menge dieser Thiere in diesen Ländern überkommen ꝛc.

Tot jugulatis in America, Gallia & alibi Balænis ſat ſtercoris ineſſe depræhenſum eſt, ſed non omnibus ambram nec dimidiam nec totam mutatam Libavius *lib.*4. *Singulor.p.*345. Et non ſolet animal ejuſdem ſpeciei facilè alterius ſtercus vorare. Propiùs accedit ſequens opinio, quâ aſſeritur

Decimo ſeptimò.

Quod Ambra ſit recrementum Balænæ.

Quæ ipſa opinio ex ſequenti cumprimis comprobabitur relatione: Nam ita Carolus Cluſius *lib.7. in Garcia ab Horto aromatum hiſtoriam p.*148. Quid ſit legitimum Ambarum atque quomodo naſcatur, dicam, quod Francofurti ad Mœnum Anno M.D.XCIII. paullò ante meum ex ea urbe abitum mihi referebat Vir probatæ fidei mihiq; Amicus Dominus Servatius Marel Burgundus, qui multas regiones peragraverat Ambariq; Moſchi, gemmarum & ſimilium rerum mercaturam exercuerat. Quum enim de Ambaro inter nos ſermo incidiſſet, ille ad me? Exploratum ne habes quidpiam de Ambaro? Non inquam, præter ea, quæ ex Garciæ Aromatum hiſtoriâ & libell. Nic. Monardis de ſimplicib. Medicamentis è novo orbe delatis didici; Legi, inquit, utrumque, illum quidem à te Latinum factum, hunc verò Hiſpanico ſermone evulgatum, ſed quid aliud adferunt, quàm Autorum dubia teſtimonia, qui cæcutientes tanquam in tenebris verſantur: Mihi autem crede Ambarum nihil aliud eſſe, quàm Recrementa quædam in ventriculo Balænæ Veræ multo tempore collecta, Veræ inquam, quia plerique cetaceos alios piſces Orcadem Phyſeterem & ſimiles magnis dentibus præditos Balænæ appellatione donant. Balæna autem legitima nullos dentes habet, ſed integros piſces vorat & mollibus imprimis delectatur ut polypis, ſepiis & ſimilibus, quibus in Ventriculo non probè confectis neceſſe eſt, multam viſcidam materiam in eo generari, quam poſteà ſimul congeſtam & ventriculum nimis gravantem vel ſingulis annis vel breviore temporis ſpatio rejicit. Iſta materia tam diu in ventriculo aſſervata, deinde rejecta & mari innatans Ambarum eſt, in quo interdum polyporum devoratorum roſtella depræhenduntur. Si Balænæ liberato jam recens ab illa mate-

ria ventriculo capiantur, nullum ambarum habere reperientur. Si aliquantò post rejectam materiam, aliquid quidem habebunt, sed deterioris nec probè excocti atque ita paulatim crescens illa materia congesta probitatem vetustate adquirit, ut si ante, quam Ventriculus illâ materiâ liberatus sit, Balæna capiatur, plurimum & optimum reperietur. Hæc ille: Quam ego ædepol opinionem vix non amplector, modo in aliis quoque locis, ubi itidem magna Balænarum copia est; illud idem experiri liceret, si scilicet in Archipelago di San. Lazaro & Mari Pacifico, si in Mari Mediterraneo, si in Scythico, si ad Norwegiam in Oceano Deucalidonio & Hyperboreo, It. ad Regnum Congo, si ad Moluccas ambra inveniretur, vel in iisdem inibi mortuis vel occisis balænis reperiretur, applausum tùm mereretur hæc opinio: Prætereà non videtur accipienda, quod ex polypis, sepiis aliisve similibus piscibus mollibus putredini facilè obnoxiis & aliàs succum haud ita bonum suppeditantibus tam nobile medicamentum vitales spiritus reficiendi, generari posse, verisimile non sit; Mercatorum, inquit Libavius *lib*.4. *Singular*.*p*.397. sermones incerti sunt, & plerumque sub magnis titulis abscondunt magnas fallacias & magis lucrum quam naturales historias quærunt, & ob id mirificè res distinctas confundunt: Quod ipsum quoque jamdudum asserere non dubitavit Cicero, quando scribit. Nihil proficiunt Mercatores, nisi admodum mentiantur. *Lib*.1.*Offic*. In totum tamen hæc opinio rejicienda non videtur, sed in quantum recipienda. Etenim reponi quandoque & in Balænarum ventriculis ambram colligi, est extra omnem controversiam, quandoquidem relationes illud ipsum satis commonstrant; Nardus Antonius Recchus & Joannes Faber in Francisci Hernandis Histotia Mexicana *p*.563.scribunt: Immensam Ambræ quantitatem non tam terræ ipsi, quam scopulorum & cautium radicibus spongiformi quidem sed molli admodùm substantiâ adhærescere, hujus autem substantiæ mixtura talis est, ut cuncti omninò pisces magis illam, quam ullum alium cibum escamve appetant. Et Laurentins Eichstadius de confectione Alchermes *cap*.15.de Ambra scribit: Si nonnunquam in Cetis inveniatur, ab iis absorptam esse verisimile est: Et Libavius citato loco *p*.335. A Balæna Ambram interdum extrahi, sed rarò, concedimus, sed quam illa venatu maris

ris dudum absorpserat, non genuerat. Donamus item hanc recentiùs voratam meliorem esse, diutiùs detentam, mutationem in substantia & viribus accepisse, atque ita hanc rejectilem, illam probandam. Testatur idem Joan Leo Africanus Rerum Africanarum sedulus Scriptor, quando capite de piscibus refert, Qui Oceani ripam inhabitant, hunc piscem (cujus nomen Ambara est, & mentio facta suprà *p*.20.) Ambram quam vocant effundere ajunt, Cæterum an Sperma vel Excrementum sit, inter se dissident, utut sese res habet piscis portentosa sui magnitudine Balænæ appellationem meretur *p*.758.*edit.Elzeviriana Anno* 1632. Num autem in earundem ventriculis generetur ex assumptis piscibus, polypis, sepiis & similibus, maximè dubitatur, sed potiùs contrarium in sequentibus demonstrabitur.

Atque sic habes, Amice Lector, opiniones de Nobilissimâ AMBRA præstantissimo, charissimo ac saluberrimo ad sanitatem hominis à Conditore DEO, dato medicamento inter se dissentientes decem atque ipsas septem, sequitur nunc

Decima octava.

Quâ statuitur: Quod AMBRA sit fimus Avis (cujus nomen, linguâ Madagascaricâ Aschibobuch, Insulanorum verò de Insulis Maldivis Anacangrispasqui) *Indiæ Orientalis odoratissimus, ad varios usus in Medicina maximè salubre medicamentum.*

Asserti probatio.

Hujus sententiæ meminit, quamvis non assertivè, Scaliger *Exerc*.104.*sent*.10. Insulæ sunt, inquit, Indici Maris Palanduræ nomine, quarum Incolæ Ambar arbitrantur esse stercus avium, quod maris allisionibus è scopulis abradatur: Et Excellent. Horstius in sua Pharmacopœia Catholica. Et Fragosus *Cap. de Ambaro l. de Aromat. & medicamentis ex Indiis in Europam delatis p*.89. Joannes Barrosius scribit esse stercus avium, quas, ut mihi videtur, Paviotte dicimus, quia ipsam comedunt, & ut fama est, paulò pòst evomunt, Ulysses autem Aldrovandus *lib*.3. *Musei Metallici cap*.6. paulò clariùs rem de-

 ducit:

ducit: Circa generationem Ambræ, Authores sententiis inter se variant, quandoquidem nonnulli stercus illarum avium esse autumant, quæ herbis odoriferis in Maldiva Insula nutriuntur: hoc enim alluvionibus undarum maris à scopulis abradi vel ablui & ad littora deferri affirmant. Quinimò propriam sententiam magis stabiliunt, cum Ambram rostris Avium quandoque refertam observaverint; etenim his in locis tales aves assiduè nidulantur: Hæc ille. Libavius sequentia habet: Alii repudiatis piscibus ad aves se contulerunt, & harum stercus esse, scopulis impositum hærensque & posteà fluctibus ventisve abrasum tradiderunt, argumento, quod plerumque avium rostella in ea inveniantur, quasi majores aves comestis minoribus cum excrementis ossicula & rostella remittant, uti & conchylia ostreaque capta & deglutita, cum & harum testulæ adhæreant *lib*.4. *Singularium cap*.1. *p*.306. *&* *p*.310. Legimus alicubi (ni fallimur) pretiosissimi odoris fimum ex avicula quâdam Indicâ inter merces in Europam asportari: Nihil absurdi est etiam grandibus volucribus tanti pretii excrementum esse, præsertim cum consentaneum sit, eas victitare vel illis aviculis suaveolentibus vel seminibus odoratis & herbis &c. Proinde haud inconveniens erit hîc aliquantisper commorari & in auxilium vocare autorum testimonia concordantia eorumve allegata indicia, quantum quiverimus, investigare, deinde verò cum his conferre Geographicas historias, Itineraria item Nautica & Diaria ac Cosmographias à diversis autoribus diverso tempore conscriptas. Disputent alii ac fallacibus conjecturis suam statuminare conentur opinionem, insistamus nos potiùs, Amice Lector, tot atque tot celebriorum Autorum concordantibus testimoniis, quorum complurium animus non fuit huic vel illi præconceptæ opinioni patrocinari, sed ut sese unumquodque consignandum obtulit, in suis relationibus bonâ fide consignare. Quod ut fiat eò manifestius & in cujusvis conspectum detur palàm, sequentia confirmabunt.

Defertur ad nos AMBRA optima de consensu facilè omnium ex India Orientali.

Ex India singularis adfertur Ambra, præcipuè ex Insulis Malviæ dictis nonnisi præstantissimi & suavissimi odoris: Amatus Lusitanus in Dioscoridem *p*.42.

Ambra

Ambra odorata ſubſtantia quædam pinguis eſt, ut plurimum in mari vel littoribus inventa, maximè in Indico & Æthiopico, ubi & præſtantisſima eſt. Camerarius in Sylloge ſuâ Memorabilium Medicinæ Cent. IV. pariic. 48.

Neque verò ullus dubitabit verum eſſe, qui ſcit, etiam teſte Garcia totum Æthiopiæ tractum Ambaro abundare, quod in littore legitur: Autor non nominatus in Garciam ab Horto *p.*242.

Atque hæc in genere ita dicta ſunto. Non abs re jam erit, ſed maximè jucundum procedere ſecundum Ordinem & unumquemque locum deſignare ſpeciatim, quo ipſo *Hiſtoria Ambræ* magis magisque declarabitur.

Incipiendum itaque à Capite Bonæ Spei per Diſtrictum illum Africæ circum circa verſus Inſulam Madagaſcar, quæ hodiè S. Laurentii Inſula appellatur, progrediendo ad Arabiam Felicem, Perſiam, Indiam Orientalem & Chinam &c.

Zefala videatur in Tab. Africæ Gulielmi Blaw:

Cefala in Tab. Afric. Ortelii.

Sefala vel Sofola in Tab. Afric. Petri Kærii Amſterodami Anno 1614.

Moſambigue vel Mozambigue in Tab. Afr. Ortel.

Demjoxa in Tab. Afric. Guiliel. Blaw.

Brava in Tab. Africæ Ortelii.

Melinde ibidem.

Inſula Cumare in Tab. Africæ Guil. Blaw inter Africam & Madagaſcar.

Multum flantibus Euris magna ejus copia Sofalam & in Inſulas Comaro, Demjoxa, Moſambicam, totumque eum tractum ejicitur è Maldivis Inſulis, quæ ad Orientem ſpectant. Flantibus verò Favoniis copioſè invenitur in Inſulis, quæ vulgo de Maldiva nuncupantur: Weckerus in Antidotario, & Garcias ab Horto *cap.*1. *de Ambaro p.*149. *librorum Exoticor. Caroli Cluſii.*

Melior Ambra Chryſea colligitur juxta Moſambique. Ampliſſ. Dominus Olearius in Itinerario Indico Nobilisſimi Mandelſchlo *p.*69.

Ex Mozambique in Indiam deferuntur Aurum, Ambra griſea, Ebenus & Ebur. Joh. Hugo Lindſcottanus *cap.*4 *p.*7. Plurimum autem

tem (pergit de Ambra) invenitur in tractu Soffalæ Moszambiguæ, Melindæ sive Abex, ac circa Maldivas Insulas & Comoriense caput licet raró. Idem Joh. Hug. Linschott.

Insula Zenzibar in Tab. Afric. Ortel. & Guliel. Blaw. & Tab. General. Nicolai Joannis Vischerii excus. Amstel. Anno 1652. quam optimè autem in Delineatione Orarum maritimarum Terræ Sofalæ Mozambicæ & Melindæ Insulæque Sancti Laurentii, Insularum Maldivicarum, Seylon Insulæ & Promontorii Comorini &c. Joh Hugo Lindscottani.

In Insulam Zanzibar veniunt multi Mercatores propter ebur & ambram. M. Paulus Venetus *lib.3. cap.41.*

Anno quinquagesimo quinto supra millesimum & quingentesimum circa promontorium Comorim, quod è regione de Maldiva est, fragmentum trium ferè millium pondo repertum est, sed cum is, qui invenerat, picem aut bituminis genus esse existimaret, vili admodum vendidit. Maximum verò, quod unquam viderim fragmentum, quindecim libras pendebat, sed qui in Æthiopiam commercii causâ navigant, multò majora fragmenta se vidisse affirmant: Totus enim ille Æthiopiæ tractus à Sofala ad Brava usque Ambaro abundat Garcias ab Horto citat. loc.

Zinqui populi vid. in Tab. Guilielm. Blaw.

Magna ejus copia è regione Zing adferri asserit Serapio *lib. de Simplicib. cap.196.* & Weckerus *in Antidotario.*

Arabia Felix vid. in Tab. Africæ.

Arabes in artem nostram Ambram induxerunt: Nævius in Consil Scholtzii *Consil.225.* Et Laurentius Eichstadins de Confect. Alcherm. Virtutes Ambari Arabes diligenter persecuti sunt.


Calecuth in Tab. Totius Orbis, & Tab. Indiæ Orient. Ortelii.

Inibi (loquitur de Calechut) rursus inveniuntur unguenta ferè omne genus, ut sunt Castoreum, ambra, storax, & id genus alia. Aloysius Cadamustus in Navigatione sua ad terras incognitas *capit.59. pag.44.*

Die Kauffmanschafft / so sie daselbst treiben / ist Gold / Silber und Edelgestein in grosser Menge von allerley Sorten / deßgleichen Bisem, Ambra &c. In der Elfften Schiffart der Holländer in die OstIndien *Anno* 1607. 1608. und 1609. *p.49. in part. prim.*

Certè

Ad pag. 36.



id
r-
sit
r-
t.
ur
lò
id
ac
pi-
tà
n-
ia.
n-
em
im
ge.
es,
ne
ne-
sti-
im
m-
im
isâ
nt.
re-


Septentrio
Groenlandia
Spitsberge
OCEAN. HYPERBOREUS
OCEAN. DEUCALID.
NOVA ZEMLA
MARE
ATLAN
TICUM
IR LA ND
AN GLI A
Nor
Su
dia
RUS
SIA
Hispania
Gal lia
Italia
E U R O P A
Polonia
Pontus Euxin.
Mare Caspi um
A S I A
C H I N A
IAPAN
Mare Me di ter ra neum
Fez
Maroco
Malta
Candia
Alexandria
Arabia deserta
Persia
Sinus Persicus
India Orientalis
MARE Arabicum
Arabia felix
Mare rubrum
A F R I C A
Zocotera
Calicut
Zingi
Brava
I. d. Comoro.
Maldivæ Insulæ
Melinde
OCEANUS
ÆTHIOPICUS
CON GO
I d Zenzibar
Mozambique
Madagascar
Cefala
C. Bonæ spei
In di cum
SU MA TRA
BOR NEO
IAVA Maior
Timor
Beach Provincia Aurifera
IAVA Minor
Terra Australis incognita

Ad pag. 36.

Certè Pharmacopæus quidam Calecutiæ, ex usu Ambræ ad centum sexaginta annos vixisse perhibetur: Atque Nobiles in Barbaria ex ejusdem usu longævi reperiuntur; cum plebs brevioris sit ævi: Franciscus Baconus Baro de Verulamio in Histor. Vitæ & mortis *pag.528. in fol.*

Comorim promontorium videatur in Tab. Indiæ Orient. Ortelii.

Ac circa Maldivæ Insulas & Comoriense caput invenitur Ambra, licet rarò. Joh. Hugo Lindscotanus *cap.70. p.75.* Et paulò post: Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto apud Comorini caput reperta est pars Ambari triginta quintallorum, ac primus ejusdem inventor picem opinatus, rem magnis dignam opibus exiguo pretio vendidit, quæ posteà dignitate materiæ agnita fuit.

Bengala & Pegu videatur in Tab. Ind. Orient. Ortelii.

Der beste Ambra Griß wird aus dem Meer gesamlet in Bengala & Pegu, Herr Olearius in deß Edlen von Mandelschlo Indianischen Reisebeschreibung *p.69.*

Insulæ Nicubar videantur in Tabul. Asiæ Guilielm. Blaw.

In den Insulen Nicubar, derer seynd fünff im Meerbusen Bengala, Pegu und Siam fischen die Einwohner viel Ambra aus dem Meer / Joannes Boterus *lib.6.* suæ Cosmographiæ tit. de Insulis im Meerbusen Bengala *p.919.*

China videatur in Tab. Africæ Ortelii.

Von Bisem und Ambra wird in China jährlich Ungeld gegeben zehenmahl hundert tausend und fünff und dreyßig tausend Taes, derer einer gild zehen Real. Matthæus Dresserus in Descriptione Chinæ *lib.3. cap.4. p.79.*

Ubi deventum jam est ad illum locum, quem terminum itineris in terra continenti posuimus, non abs re erit revertendo instituere iter per mare ac observare illas imprimis Insulas, quæ nostrum institutum illustrare maximè possunt. Perlustravimus quidem jamtum Insulas Comorim, Zanzibar & Nicubar. Verùm id ideò factum est, quoniam illæ propiùs adjacent terræ continenti, eâ de causâ terram continentem transeundo easdem quoq; tetigimus simul.

Prima jam sit Insula Timor, quæ videatur in Tab. Ind. Orient. Ortelii.

Invenitur etiam interdum ſed rarò in Timor. Garcias ab Horto *p.*148. *Exoticor. lib.*7. *Caroli* Cluſii.

Secundò videantur Inſulæ Palanduræ in Tabella Itineris Navalis in Indiam Orientalem G. M. A. W. L. Amſtelrod. ex officina Nicolai Anno 1598. Quæ in Tab. Aſiæ ab Ortelio appellantur Pandur &c. Videri etiam poſſunt in Tabula Totius Orbis in Lindſchotti Itinerario.

Inſulæ ſunt Indici Maris Palanduræ nomine, quarum Incolæ Ambar arbitrantur eſſe ſtercus avium, quod maris alliſionibus è Scopulis abradatur. Scaliger *Exerc.*104. *ſect.*10.

Tertiò Inſulæ Maldivæ, qnarum numero ſunt 7000. ad 8000. Videatur Ortelius in Tab. Ind. Oriental. Und ſchon zuvor erwehnter Herr Olearius, Fürſtl. Hollſteiniſcher Mathematicus und Bibliothecarius erzehlet in deß Edlen von Mandelſchlo Indianiſchen Reiſe-Beſchreibung / daß dieſer Inſulen ſollen bey 10000. gar klein seyn/ liegen nahe aneinander / etliche ſeynd bewohnet und fruchtbar/ welche nemblich etwas erhoben / etliche aber unfruchtbar und unbewohnet / welche niedrig und offt in ſtarcken Sturm unter Waſſer geſetzet werden *p.* 150.

Johannes Boterus lib. 9. Coſmographiæ ſuæ *pag.*321. hæc habet tit. Von den Inſulen im Indianiſchen Meer: Und von den Inſulen Maldivar; Man findet auch in demſelben Meer ſonderbare glänzende vielfarbige Muſcheln / welche in Pegu, Siam, Cambay, dahin man ſie bringet / an ſtatt des Goldes dienen / derſelben führet man auch in Portugall offt zwey/dreytauſend Quintal: (Ein Quintal thut 5. Centner/ Boter. *lib.*3. *part.*2. *pag.*70. *col.b.*) In Chinea, Benim und Congo, da ſie auch für Geld außgegeben werden / weiter zuführen / mit geſalzen und dürren Fiſchen werden diß Ortes auch groſſe Händel geführet: Deßgleichen auch mit der Ambra vielerley Farben/weiß/gelb/ grau/ſchwartz / ſo in demſelben Meer mit groſſen Stücken auffgefangen wird.

Ferdinandus Lopetz de Caſtagneda Rerum à Luſitanis in India Orientali geſtarum Scriptor *lib.IV. cap.*35. ſcribit: Majores Inſulæ de Maldiva Archipelagi illius interioris, multas odoriferas herbas producunt, quas depaſtum veniunt magnæ quædam aves Incolis Anacangriſpaſqui nuncupatæ: Iſtæ aves in rupibus & ſcopulis

earum

earum Insularum secundum maris littus sitis versantes & aggrægatæ stercus egerunt, quod ambra est, cujus tria genera faciunt, Unum album ipsis scopulis uti egestum est, inhærens, quod probatissimum censent, & *Pona hambar* hoc est, auream ambram appellant, majoris quam reliqua pretii, quod paucâ quantitate & majore difficultate reperiatur, quàm alia duo genera, quæ cineracei & nigri sunt coloris, & ex albo originem trahunt. Ex istis, quos dixi, scopulis tempestatum vehementia temporis successu magnis fragmentis cadit hæc Ambra & in littus ejicitur: Id *Coambar* dicitur, id est, Aquæ Ambra, quoniam aquarum fluctibus valdè eluta magnam suæ probitatis partem perdidit. Tertium, quod nigrum, *Maniambar* vocant, quod significat piscis Ambram, nigredinem enim contraxisse existimant, quod à Balænis aut aliis piscibus devoratum fuerit, qui illud concoquere non valentes rursus evomuerunt, id autem est omnium vilissimum, quia penè totam facultatem amisit. Hæc Ferdinandus Lopetz de Castagneda à Carolo Clusio allegatus. A Zeilero inter alios rarissimos autores citatur etiam Herdinandus Lopetz, Daß / als er sey ViceRex in India gewesen / einer für ihm Nahmens Hugo d' Acu'gna aus Bengala bürtig Anno 1536. sey gebracht worden / welcher damals 340. Jahr alt gewesen / und schwartze Haar gehabt / nachdem er viermal wieder jung worden / und nacheinander 700. Weiber gehabt hätte: in Theatro Tragico Historia 13. *p.* 442. Quod si in literarum positione fortè irrepserit error, & aliundè deduci possit, quod Ferdinandus Lopetz de Castagneda ex Illustri (nomine & famâ) Familia in Hispania, fuerit VICEREX in India Orientali, tantò majorem sua habebit fidem relatio; Etenim Ecquis ausit in Regis Vice Tenentem Personam falsæ allegationis præsumere suspicionem? Hæc Castagnedæ assertio appellatur in Historia Mexicana *pag.* 57. frivola, verum non additur, ex quo fundamento & quâ de causâ, proinde illam ego avidè desidero, & si nulla dari firma poterit, frivola potiùs est accusatio.

Quartò, Von Socotera gegen Mitternacht liegen zwo kleine Insulen / Sorelle (Schwestern) genant / deren Einwohnere / welche gelbfarb und mit andern Völckern keine Gemeinschafft haben: haben Helffenbein / grauen Ambra, Drachenblut / Aloës &c. Boterus *lib.* 6.

Cosmo-

Cosmographiæ suæ primùm ab Autore Italicè edita, deinde verò in Teutonicam translata, & Coloniæ excusa Anno 1596. Insulas has notatas nomine Sorelle invenire equidem in ulla Tabula Geographica haud licuit hactenus, nisi nomine Duas Irmaas fortè indigitentur, quemadmodum duas Insulas juxta Zocoteram ita notat Lindschottus in suis navigationibus. Haud abs re erit hic obiter meminisse Zocoteram illam esse Insulam, unde optima Aloe adfertur, rectiùs itaque scribitur Aloe Zocoterina vel Socoterina quàm Succocitrina.

Quintò in conspectum ducenda venit Insula Madagascar hodiè S. Laurentii Insula dicta, quæ in Omnibus Tabulis generalibus & Africæ imprimis propter magnitudinẽ suam sese facilè ostentat.

In Balænis ad Insulam Madagascar Ambram inveniri asserit M. Paulus Venetus: Georgius Agricola *lib. 4. de natura fossilium cap.15. pag.494.* Ipsius Pauli verba hæc sunt: In mari Cete grandia capiuntur, ex quibus Ambrum colligitur; *lib.3. cap.39.* de magna Insula Madagascar.

Der Edele von Mandelschlo gedencket in seiner Morgenländischen Reisebeschreibung / so von offt wolgedachten Herrn Oleario rauß gegeben / da er *p.172.* von der Insel Madagascar schreibet: An etlichen Orten des Strandes findet man grosse Stücken des Ambra, welches die See außwirfft.

Boterus Titulo von S. Lorentz Insel schreibet/ Sie hat Wachs/ Honig/ Ambra, Silber/ Kupffer ꝛc. *p.327.*

Item Johann. Hugo von Lindschotten im andern Theil der Orientalischen Indien/ da er von der Insul Madagascar schreibet: *p.16.* So giebet auch die See allda viel des köstlichen Ambra.

Eliud Nicolai in descriptione Orbis (Monachii excusa typis Nicolai Henrici Anno 1619) Itinerum item & navigationum in Indiam Orientalem & Occidentalem ex Castilianis & Lusitanicis relationibus, ubi imprimis fretum Ananiam impugnat & rejicit, provinciam potiùs Rebencur ibidem esse asserens *cap.19.* de Insula Madagascar refert, quòd Hieronymus Megiserus peculiarem scripserit & Anno 1609. ediderit Altenburgi in Misnia librum de Insula Madagascar, in quo dictæ Insulæ portus, adjacentes Insulas, inhabitantium mores imò fructus & alia singularia curiosè annotavit,

ad



Tab. pag. 41.

ad quem Eliud Nicolai lectorem brevitatis causâ remittit, quo ipso Hieronymum Megiserum tanquam fide dignum autorem sine dubio commendat: Scribit autem Hieronymus Megiserus Comes Palatin. Cæs. & Elector. Saxoniæ Historiographus in descriptione Insulæ Madagascar *pag*.43. *cap*.6. Der weitberühmte Portuges Oduardus Barbosa von Lisabona erzehlet in seinem Reisebuch / wie auch Andreas Tharetus (sed forte rectius Thevetus, quemadmodum ita scribit Joan Hugo Lindscotanus part. II. Ind. Oriental. *p. m*.16. & Megiserus ipse *p*.59.) in seiner Frantzösischen Cosmographia Tom. I. *p*.101. Daß sie beydes von den Moren der Jnsul Palandura und den Einwohnern der Jnsul Ucigue nahend bey Madagascar aus derselben mündlichen Bericht erfahren haben / daß es mit den Ambracan und seinen Ursprung folgender massen beschaffen sey: Es ist in jetzt gemelten Jnsulen eine Art von einem frembden Vogel in der Grösse/wie bey uns die Gänse sind/ welcher einen grossen Kopff hat/ wie eine Faust/uñ einen Schopff oder Haubē auff dem Kopff/daher er auch Aschibobuch von den Einwohnern genennet wird/das ist/Vogel mit dem Schopff / Er hat schöne Federn / gesprenget von vielerley Farben/sonderlich grün und graulechtig/in der Mitte siehet er etwas braunschwartz / dieser Vogel hält sich gemeiniglich auff in den Wildnüssen und Einöden ferne von den Leuten / und kömbt der Ambar von ihnen her: Denn er setzt sich bey Nacht auff die Spitzen der hohen Klippen und Steinfelsen (Es seynd aber diese Vögel gemeiniglich Hauffenweise beysammen / wie bey uns die Kräniche) und was er alßdann von sich spritzt auff die Steinfelsen/das ist der rechte natürliche Ambar, der wird alßdann von der Sonnen gekocht / von dem Mond purificiret/ und von der subtilen Lufft desselben Gebürges gereiniget / und bleibet allda / biß das Meer durch grosse Sturmwinde ungestüm wird / und die Wellen an die Felsen schlagen / so nehmens denn den Ambar mit / der schwimmet alßdenn Stückweiß im Meer/ und wird theils an die nähesten Gestaden und Hafen geworffen / theils wird von Fischen gefressen / (weil es aber eine unverdauliche materi ist / müssen sie ihn wieder von sich geben und heraus speyen) theils aber schwimmet lange auff dem Meer / biß er an ein Land getragen wird/uñ daher seynd dreyerley Sorten des Ambars; Welcher nicht lange auff dem Meer schwimmet / und bald ans Gestade ge-

worffen wird/den halten sie für den besten/und derselbe ist fein weißlicht / und wird Ambra gris, item Porabat von den Einwohnern genennet / welcher aber lange auff dem Meer geschwummen / der ist etwas dunckler und schwärtzer / den nennen sie Puabar, ist wohl auch gut / aber etwas geringer und schlechter als der erste / der dritte / so gar schwartz und voll Flecke ist / hat keinen guten Geruch / wird nicht hoch geacht / und Minabary genant / diesen / sprechen sie / haben die Wallfische verschluckt / und weil sie ihn nicht genioch t verdauen / wieder gegeben / daß aber dieses Vogels Mist oder Koth also wohlriechend ist / sprechen die Einwohner / sey seine Nahrung daran schuldig/denn er eine Frucht isset/die so groß als ein Tauben Ey von einem gifftigen Baum Assaragaoni genant / welche Frucht den Menschen zu niessen gar tödlich ist; Er nehret sich auch von einem kleinen Thierlein / ist wie eine Heuschreck / hat einen guten und lieblichen Geruch/ das nennen diese Barbarische Leute Lorpin , über das hat gemelter Vogel auch die Art an ihm/daß er im Gebürge hin und wieder umbschweifft / biß er ein überausgifftiges Thier Aldafarcad, von etlichen Algelorum genant/findet/ und weil dasselbe Thier offtmals ein Apostem oder Geschwür bekömbt unten am Bauche nahe beym Nabel/ welches sehr jucket / daß es das Thier aufffkratzen muß / und was heraus gehet/ ein über die massen lieblichen Geruch giebet / Also hat der Vogel Aschibobuch von Natur diese Eigenschafft und Sympathia an sich gegen gemelten Thier / daß er zu ihm gehet / und sauget ihm sein Geschwür rein und sauber aus / wie im gegenwertigen beygelegten Kupfferstück solches alles / was von Ursprung des Ambars gemeldt/augenscheinlich zu sehen ist / Man mag auch hiervon weiter lesen in der Frantzösischen Cosmographia Francisci Belloforesti im andern Tomo am 1785. Blat/ da er weitläufftig hiervon tractirt: &c. Hactenus Megiserus: Ac dum in allegatis Megiseri mentio fit, Ambræ odoris suavitatem & per consequens virtutem illam egregiam refocillandi vitales spiritus dependere ab assumptis, quibus vesci assolent dictæ aves & delectantur, haud inconveniens erit, infra in peculiari quæstione hâc de re investigando disquirere.

Notandum imprimis hîc est promontorium illud Insulæ Madagascar, quod ab Ambra nomen suum habet, scilicet Capo del Ambar: Ortelius in Theatro Orbis Terrarum in Tab. Africæ: Item

Mat-

Matthias Quaden in Enchiridio suo Cosmographico in Tabella Africæ: It. Maginus in Geographia Universa, Volumine secundo in Tab. Africæ *p.*18. Et quæ de eodem promontorio habet Megiserus: Es ist auff der fordern Spitz dieser Insul Madagascar Ostwerts ein Capo oder Vorgebirge/so weit in das Meer hinein gehet/und genant wird Capo di Ambar, Aus Ursachen/weil sonderlich an derselben Revier sehr viel des Ambracans gefunden und gesamlet auch allenthalben in die Welt verhandelt wird.

Quâ de causâ verò nos Ambræ vera origo & exactior cognitio latuerit hactenus, ex sequentibus erit manifestum:

Die Holländer haben die Insul Madagascar erst Anno 1595. den 10. Martii angetroffen; Herr Olearius in des Edlen von Mandelschlo Morgenländischen Reisebeschreibung *pag.*177. und Eduardus Lopetz in Descriptione Regni Congo, welche Augustinus Cassiodorus aus der Portugalesischen Sprache in die Teutsche übersetzet hat/schreibet *pag.* 69. Der meiste Theil der Insul S. Laurentii nimbt sich der Frembden nicht an / läßt auch nicht zu / daß sie ein Gewerb und Handthierung da auffrichten: Doch pflegen die Portugaleser an etlichen Orten dieser Insul zu handeln / doch daß sie nicht aus dem Schiffe steigen / sie tauschen Ambra, Wachs/ Silber/ Gold/ Kupffer / und dergleichen/ &c.

Pleniorem notitiam poterunt suppeditare Lusitani: Nam præcipuæ Regiones Africæ, ut sunt Cefala & Mosambique & complures inibi Insulæ sunt sub Jurisdictione Regis Portugalliæ, quemadmodum patet ex Cosmographia Joannis Boteri Italicâ linguâ primùm editâ lib.3. capitib. vel titulis de Quiloa, de Mosambique & Cefala, de Congo & Loanda ac Chezzema, quod idem suo testimonio confirmat Ampliss. Dn. Hieronymus Welsch Consiliarius Wirtenbergicus in Itinerario suo nuperrimè edito *pag.*273. & 274.

Propellitur & extra caput Bonæ Spei quandoque Ambra ac fluctuum cursu & reciprocatione hinc inde agitatur, & nunc hûc nunc illûc in littus fortè ejicitur vel ex mari colligitur, prout hic vel ille ventus flat & aquas impellit, vel etiam à Balænis in Indico & Æthiopico maribus deglutita hûc vel illûc in ventriculis transportata & rejecta vel etiam in iisdem occisis inventa est. Hinc Historiæ habent: Anno 1530. inventum esse fragmentum in Setubal

Lusitaniæ portu, scribit Garcias ab Horto. Sic ejectum in Littus è Canaveral ad promontorium D. Helenæ testatur Nicolaus Monardes *pag.* 300. *de simplicium medicamentor. historia cap.* 7. Et ex eodem Monarde refert Ulysses Aldrovandus *lib.* 3. *Musei Metallici*: Circa Canarias Insulas, quas Fortunatas putant, Balænam fuisse interfectam, ex cujus aperta alvo magna Ambræ copia exempta fuit; sed posteà addit, innumeras ferè Balænas cum suis Catulis fuisse peremptas, in quibus nihil prorsus Ambræ fuit inventum &c.

In Oceano Britannico multum Ambræ legitur: Scaliger *Exerc.* 104. *sect.* 10.

Auch bey Cabo Verde: Herr Olearius in des Edlen von Mandelschlo Indianischen Reisebeschreibung *pag.* 69.

Ex his omnibus, imprimis verò Ferdinandi Lopetz de Castagneda & Hieronymi Megiseri fundatâ in Oduardi Barbosæ, Andreæ Theveti & Francisci Belloforesti relatione quam optimè manifestatur laudatissimæ AMBRÆ natale solum, origo ac Diversitas. Sequuntur itaque ejus

DIFFERENTIÆ.

Primùm Ambra est vel Nativa vel Factitia.

Nativæ tres dantur species: Alba, Cinerea, & Nigra, cognoscunturq; colore, odore atque pondere.

Album Ambar levissimum, odoratum optimumque.

Nigrum gravissimum, odore carens atque ignavum.

Cinereum omnibus his mediocre est de sententia Cardani.

Ab aliis aliæ quoque optimæ adducuntur notæ. Sic ab Excellentissimo Schrödero optima censetur, quæ acu perfossa succum pinguem resudat. Quò inclinat Cælius Rhodiginus *lib.* 28. *Antiquar. Lectionum cap.* 25. Quod ruffum est ac pingue, primoris censetur notæ.

Easdem species declarare atque describere nobis placet sequentem in modum.

Alba ab Insulanis vel colligitur de Saxis & scopulis, quibus insidere assolent dictæ aves vel quemadmodum ex Megiseri Schemate videre licet per supposita vascula excipitur.

Cine-

Cinerea vel Cineritia (quemadmodum ſic inſcribitur à Theodoro Tabernæ Montano in Electuario Bezoartico: B.Sennertus de febrib. *pag.* 646.) à maris alluvione fluctuum ac procellarum vi de ſaxis & ſcopulis mota & hinc inde agitata, tandem à Ventorum impetu hûc vel illûc in littus ejecta ab incolis colligitur, vel etiam à Nautis ad hanc rem attentis in ipſo mare excipitur, videlicet cinerea illa eſt, quæ bonitatem ſuam atque colorem album aliquâ ex parte amiſit, aquæ marinæ tanquàm ſalſæ eliquatione. *Ambra Cinerea.*

Nigra (primùm alba ac ut anteà dictum) in aquam delapſa à Balænis aliisve Beluis Marinis in Æthiopico & Indico maribus deglutita, & tanquam res earum beluarum ventriculis moleſta iterùm rejecta denuò in mari agitata, tandem in littus appulſa ab Incolis colligitur vel in occiſis ac mortuis balænis quandoque reperitur: Hinc fortè non ſine cauſa Stockerus in Praxi ſua in ſpecie præſcribit: ℞. Ambræ Balænæ ℨjß. libr.1.cap.7.de Melancholia *pag.* 38. *Ambra Nigra.*

Nigram vel in piſcibus reperiri, vel factitiam eſſe arbitror, ſcribit Crato in Epiſt. Medicinal. à Scholtz. collect. *Ep.*126.

Dantur deinde plures quidem Ambræ ſpecies videlicet plurium colorum, adeò ut (quemadmodum Libavius lib. 4. Singularium ſcribit *cap.*10.*p.m.*385.) numerus nativarum ad ſeptenarium & ampliùs aſcendat, quandoquidem conſentaneum eſt, non unum modum miſtionis & puritatis eſſe. Illæ Veræne ſint ſpecies an adjunctis ſaltem ſeu accidentariis coloribus differant, quærere non immeritò posſis, quia cum velint recentem ambram albam eſſe: & inde griſeſcere, citrineſcere, fulveſcere, nigreſcere, prout in mari vel alvo balænarum diu verſata fuerit, non magis diverſæ ſpecies fient, quàm homo primò ſanguineus, hinc albus poſteà flavus, fuſcus niger, uti in Ruſticis & nautis compertum eſt. Ita Zibetta recens albet, mediæ ætatis mellea eſt, inveterata lutea & ſuffuſa &c. Verùm entia præter neceſsitatem non ſunt multiplicanda, omnes enim ambræ ſpecies ratione coloris ad album cinereum & nigrum facilè referuntur de communi Autorum ſententia. *Ambræ plures ſpecies.*

Explicatâ Ambræ nativæ origine, expedienda jam venit ejus æmula, nam ſubinde ſupplantatur ſpurium, inprimis verò ſi lucrum aliquod ingens expectandum inde eſt, in pretioſis ſcilicet. Etenim

quantis imposturis adulteretur Bezoar à Bauhino deducitur longâ serie, quantis fallaciis inquinetur & nundinetur Moschus experiri licet totâ die: Et quid affirmare ausim de Usnea? Id, quod accidere solet satis frequenter paulò ante dictis, illud idem accidit nobilissimæ AMBRÆ: Ita enim scribit Avicenna *lib.2.tract.2.cap.63.* Adulteratur cum gypso & Cera & Ladano &c. Et Silvaticus in Pandectis; Sophisticatur Ambra cum ligno aloes, storace, calamitha ac laudano resolutis, addito musco resoluto in aq. rosar. & apposita aqua in parva quantitate; sed cognoscitur, quia Sophistigata potest malaxari sicut cera, Vera autem non.

Factitia.

Factitia fit ex Benzoe, cerâ candidâ novi Examinis, carie fraxini, arborum musco; aut ex storace, ladano, ramentis xyloaloes, additurque ad utramque compositionem muscus vel Zibethum, atque omnia cum aqua rosarum commisceantur: Georgius Agricola *lib.4.cap.15.pag.494.* sed facilè fraus deprehenditur: Etenim nativa non ita celeriter ut factitia aquis mollescit, & ab eadem colore & odore differt. Idem de natura fossilium.

Factitia facilis cognitu est odore scil. (quo res, ex quibus confecta est, prodit) tùm quoque colore (quo plerumque nigra est) adde, quod aquæ imposita citiùs mollescit, quàm nativa. Celeberrimus Schröderus in sua Pharmacopœia.

Considerandum jam venit ejus

TEMPERAMENTUM.

Ambra calida est scribit Rhases *l.3.de Re Medic.ad Mansorem Regem c.22.* Ambra est calida & sicca. Et videtur quòd sit caliditas ejus in secundo & siccitas ipsius in primo Avicenna *l.2.Tract.2.cap.63.*

Ambar calidum est in secundo, siccum in primo circa finem. Silvaticus in *Pandect.*

Ambra calet & siccat secundo ordine & viscosæ densitatis quid obtinet. Heurnius in methodo ad praxin *pag.163.*

Moschum Ambra Grysea calore & lentore multum exsuperat, hinc prudenter factum à Monspeliensibus, contendit Ornatissimus Catelanus, quod illius pondus auxerunt, ambræ quantitate imminuta, & proinde confectionem Alchermes tutiorem & ju-

cundiorem reddiderunt, & quia plus Moſchi non adulterati reperitur quàm ambræ, idcircò doctisſimum Rondeletium in Aromatico Moſchato pariter minuiſſe, Moſchi pondus augendum cenſuiſſe: Muſeum Calceolarii in Deſcriptione Moſchi *pag.* 665. Notandum autem eſt, quòd Ambra ſit pars baſis confectionis Alchermes, quemadmodum id teſtatur Laurentius Eichſtadius *pag.*59. de confectione Alcherm.

Exponendæ nunc veniunt ejus Vires ac Facultates, & adducendæ illæ medicamentorum formulæ, quibus commodè in peculiaribus affectibus admiſceri ſolet pretioſisſima Ambra, tandemque ſubjungendæ nonnullæ quæſtiones ad propoſitam rem pertinentes.

VIRES ac FACULTATES.

Vires ac Facultates manifeſtantur per uſum, qui eſt vel internus vel Externus, Et eſt vel Generalis ſeu communis, vel Specialis ſeu particularis.

Uſus ſpecialis confortat cerebrum, cor.

In ſpecie cerebrum atque cor robuſta efficit: Rhaſes *lib.*3.*de Re Medic.ad Manſorem Regem cap.*22.

Ambra confortat cor. Petrus Aponenſis *Differ.* 44. *pag.* 203. *columm.*23.

Ambra confert decrepitis ſubtilitate ſuæ calefactionis, confert cerebro & ſenſibus, confert cordi: Avicenna *ſæp.citat.loc.*

Ambra calida eſt & ſicca, & fortificat cerebrum, & corroborat ipſum & ſenſus omnes & cor, & confert ſenibus & frigidis complexione, valdè. Serapio *capitulo* 196.

Ambra Spiritus cunctos recreat, Napelli vim frangit, eſt calida & ſicca in ſecundo ordine, eſt viſcoſa & tenuis, ſuperatque temperie Muſcum, ejus ſiccitas diluitur oleo; & calor camphorâ, frigidis naturis confert, ex vino pota ilicò inebriat. Heurnius *lib.*2.*Meth. M.ad praxin cap.*5.*p.*105.

Inter Medicamenta ab omnibus Medicis doctis ad roborandum calorem naturalem in viſceribus & toto corpore & ſpirituum generationem, maximè commendatur AMBRA. Et quia ante præſcripſi pulverem ex Ambra, margaritis & ſuccino, ne intermittat ejus uſum Illuſtriſſ. Dn. vel ſolam Ambram cum ſacchar. tritam ſumat, ita ut ad ℔ß. ſacchari addatur ʒß. Ambræ.

Crato

Crato *in.Consil.Scholtzii Consilio* 121.*column.*335.*Et Consil.*174.*col.*496. Inter ea, quæ cerebrum roborant, magnam vim Ambræ Orientali tribuo, de illa igitur sæpè in recenti ovo sorbili ægrum sumere velim.

Ambra vehementer roborat cor ac lætius illud reddit; cunctos spiritus recreat, & moscum temperie superat; nam subtili crassamento excellit. Heurnius *lib.2. Meth.adpraxin p.m.*99.

In Apoplexia. Imprimis Ambra ad cerebrum roborandum & spiritus instaurandos maximè valet. Celeberrimus Sennertus *Lib.*1.*Pract.c.*37. *de Apoplexia.*

Ambra Grisia ex optimis est, ad spiritus demulcendos & confortandos: Franciscus Baro de Verulamio *p.*139. *num.*5. *in Historia Vitæ & Mortis in* 12. *in fol. pag.* 522.

Ambra grisea sola ad gr. V. vel VI. singulis diebus exhibita cum vino aut aqua rosarum, spiritus & calorem nativum vivificat, & cor maximè exhilarat. Lazarus Riverius *cap. de Melancholia Hypochondriaca. pag.*219.

In Melancholia Hypochondriaca. Ambra propter calorem quasi temperatum tutò fermè sumitur, ac propter lentorem cum styptica subtilitate mixtum prærogativam habet ad vitam in membris & spiritibus confirmandam, tum verò si ex eo fiat aqua cutisque lavetur, digestionem quartam restituit ac morbos, ejus defectu contingentes expellit. Marsilius Ficinus *de Vita producenda lib.*2. *cap.*9. *p.*82.

In Vertigine. Ingreditur pulverem contra Vertiginem ad ʒß. Sennertus *lib.*1. *Pract. cap. de Vertig. p.m.*274.

Ambra temperatior est Moscho & eandem habet proprietatem lætificandi cor, cerebrum, nervos & alia principalia membra firmandi, catharros à frigidis humoribus ortos absumendi, flatus discutiendi, appetitum excitandi, senibus crassis lentisq; humoribus scatentibus & Melancholia laborantibus, opitulandi & denique nativum colorem fovendi. Laurent. Eichstadius *de confect. Alcherm.*

In Lipothymia. Ambra excalfacit, resolvit, cor, cerebrum & partes principes recreat, spiritus reficit, lipothymiæ medetur, vires erigit, mentem exhilarat, & palmo conducit. Renodæus *de mater. medic. cap. de Ambaro pag.*660.

Ambra

Ambra calefacit, ſiccat, reſolvit, Cor Cerebrumq; roborat, ſpiritus vitales ac animales ſulphurea ſua ac ſuavi exhalatione ſuſcitat reficitque, ut haud rarus illius uſus eſt in globulis illis fragrantibus ad infectum aërem corrigendum ſpiritusque ab inficiente tutandos formatis; quos globulos inde poma Ambræ Vulgus appellat. Celeberrimus Schröderus *in ſua Pharmacopœia.*

In ſumma Antidotum ex Ambare valet adverſus omnem imbecillitatem corporis, nativum ſuſcitat calorem, eos, quorum articulos frigidus ſuccus infeſtat, omniaque membra mirificè adjuvat, ventriculum cibum renuentem atque impotentem eximiè emulcet, cor quoque roborat, manè & veſperi ex vino &c. Actuarius *lib. V. M.M. cap. 6.* *Uſus univerſalis.*

Ambar von wegen ſeines lieblichen Geruchs ſtärcket das Häupt und das Hertz/ von wegen ſeiner truckene verzehret er auch alle überflüßige Feuchtigkeit des Magens/ widerſtehet aller Unſauberkeit und Unflat/ hilfft den jenigen/ ſo an der fallenden Kranckheit liegen/ iſt gut wider das aufſteigen der Mutter/ eingegeben/ und von unten auff geräuchert. Summa/ es iſt allen alten Menſchen in kalten Zufällen nütz und dienlich. D. Paludanus *p. 59. ſup. citat. loc.*

Hinc fortè Opulentiores Indi eo cibis permixto frequenter utuntur, medicamenti loco. Weckerus *pag. 81. in Antidotario.*

Mercator eſt ut audio, imò Monopolium obtinet Ambræ, quam ſcimus, quantum Vitæ conferat, adeò ut decrepitus propriâ manu ſcripſerit Princeps, depellens omnem ſorditiem à corde & cerebro, eaque confirmans, ille idem reddit rationem locupletem, dum inquit: Caliditatem habet tenuem cumq; oleoſa ſit, imò tota oleum concretum, quod dignoſcitur admoto candenti ferro: quare repurgat (ut veriſimile eſt) humidum illud innatum & vitam in immenſum producit: Referunt Medici earum Regionum Incolæ, Indos eo medicamento familiariter ob egregias illius dotes inter dapes & fercula uti: Cardanus *de ſanitate tuenda p. m. 318.* *Ad Longævitatem.*

Sunt & quædam, quæ TOTA SUBSTANTIA addita lætiores ſpiritus reddunt, ut Rubinus, Saphyrus, hyacinthus citrinus, quædem tamen apertâ vi & occultâ potentiâ permixtis: ut muſcus, ambra &c. Heurnius *lib. 2. Method. ad praxin p. m. 89.*

G Con-

Usus internus in Syncope. ContraSyncopen accipe ʒj.Ambar & ʒiiiij.lign.aloes,℥ij.oſs. de C.C. quæ omnia reſolvantur in aq.roſar. & fiant pilulæ & propinentur. Silvaticus *in Pandectis*.

Contra Epilepſiam. Ingreditur Electuarium de pæonia contra Epilepſiam. Adrianus Toll *pag.17.cap.de Epilepſ.* Videlicet ℞. Rad.pæon. vel ſem.ejus ℥j. Mac.Spicæ, corall.rubr. Croci, Margar. Maſtich.ʒß. Myrtil.℥jß. Cinamom. Nuc.Moſch.cariophyll.folii,Zinzib. pip. long. cardam. Granor.Paradiſ. Nuc.Indic.an.ʒij. liquirit ʒv.Anacard.℥jß. Muſci, Ambræ an. gr.vj. fiat pulvis & cum ſaccharo conficiatur.

Pro præservat. ab Apoplex. Si fortè propter intemperiem frigidam totius cerebri huic morbo (loquitur de apoplexia) aliquis eſt obnoxius, cum iſto modo non ſubirò, ſed lentè eum corripi neceſſe ſit, hoc conſequitur, in affectione præcautionem minimè difficilem eſſe. Ut verò ſingulis diebus temperamentum paulatim in deterius labitur; ita quotidiè opera danda, ut lapſus corrigatur. Cum verò frigidius fieri cerebrum in iſta affectione conſtet, itaque ſingulis diebus aliquid aſſumendum, quod ſpiritus animales & calorem naturalem refocillet & temperamentum cerebri conſervet. Nihil ad hoc Ambrâ convenientius. Itaque his orbiculis ſingulis diebus uti convenientisſimum;

℞. Sacchar. in aq. roſar. diſſol.℥iiij.
ol.Aniſ.deſtil. gt.iij.
Ambræ gryſeæ gr. iiij.
Miſc. & f. confectio in rotulis.

Vel iſtis, cui compoſita magis placeant, aliquis uti poterit;

℞. Specier. Diambræ
Diamuſci dulc. an. ʒj.
Sacchar.albiſſ. in aq.borrag.diſſol. ℥iiij.
ol.aniſ.deſtill.gt.ij.
Miſc.& f.confectio in Rotulis.

Crato in *Conſil.Scholtz.p.98.Conſil.37.* Et idem *Conſilio antecedente 36.p.35.in eodem affectu:* Quotidiè utatur hâc confectione, quæ ſpiritus refocillat:

℞. Specier.Diambr.
Diamoſch. an .ʒj.

Diſſol-

Dissolvatur Sacchar. in aq. lavend.
& f. confectio in orbiculis.
Harum Rotularum unum manè edat.

Cum Ambra præcipuè roborando cordi & capiti utilis sit, ut ibi catharros exsiccet & cordis vires instauret, ideò omnibus catharrosis utilissima, sicut & iis, qui affectionibus cordis tentantur. Datur in saccharo rosato pulverisata & comminuta ad grani dimidii quantitatem vel integri grani.

Omnibus Catarrhosis utilissima.

Sunt & alii, qui describuntur in Italicis & Hispanicis libris. Crato *in Consil.*343. *p.m.*962.

Ambarum ex convenienti decocto datum utpote passularum mundat. aut similib. tussis à tenuiore materia inveteratæ præstantissimum est remedium. Hollerius *lib. de morbis intern. c.*24.

In tussi inveterata.

Ego, scribit Crato *Epist.*137. Veteres Ambra sulphurea, quam verè Chryseam appello in morbis pectoris & aliis usos arbitror, eamq; plurimum juvare ac verè huic θεῖον inesse, reipsa comperi.

In morbis pectoris.

Adversus pestem multa, quæ pro certissimis habentur, fallacia sunt, camphoram excellere omnia remedia & usum ambræ atq; fungi illius, quem boletum Cervinum appellant, re comperi. Crato *in Epistol. Medicinalib. à Scholtz. collectis Epistol.* 103. & *Epist.*126. Memini me usum Ambræ, quam verè chryseam Veteribus dictam puto in Consilio contra pestem probasse, & felici successu in morbis pestilentialibus usum fuisse.

Adversus pestem.

Et idem in Consiliis *columnn.*1093. Valet plurimum in affectibus pulmonum, in febribus autem pestilentialibus præsentissimum remedium est.

In affect. pulmon.

In febr. pestilentialibus.

Et *pag.*962. *Consil.*343. Certissimo Experimento didici infundere super ambram optimum vinum Malvaticum, destillatum in vitrum & diligenter obturare, & manè aliquot guttas cum pane sumere, esse excellentissimum remedium præservativum in peste.

Excellentissimum remedium præservativum in peste.

Ingreditur etiam Nobilissima Ambra Laudanum Opiatum Quercetani ad ℈ij.

It. Laudanum Opiatum Quercetani Majus a ʒß.

It. Anodynum Specificum Paracelsi ad ℈iiij.

It. Extractum Nepenthes aureum Salæ ad ℈j.

It. Ingrediuntur species Diambræ Laudanum Opiatum Crollii ad ℥ijß. & Ambra ipsa in substantia ad ℈j.

It. Laudanum Opiatum Sennerti species Diambræ ad ℥j. cum Tinctura Diambræ & ipsa Ambra ad gr. vj.

It. Ingrediuntur Laudanum Liquidum in species Diambr. & ad ℈iiij. & Ambr.gris.ad ʒß.

De quibus omnibus videatur Excellentissimus Schröderus *lib.4.cap.de Opio.*

Ingrediuntur prætereà in ipsam Theriacam cœlestem ad ʒij. Schröderus *lib. II. pag.m.219.cap.57.*

Horum medicamentorum allegatorum virtutes ac laudes videri possunt in locis citatis, easdem enim hic adscribere omnes, esset replere chartam; Benevolus Lector contentus erit allegatis & citatis.

Quinta Essentia Juniperi treibet aus den Aussatz / und Quinta Essentia Ambræ auch: Theophrastus *pag.798.b.*

Quandoque tamen & ambra nocet, siquidem cordi, nisi à frigida causa occupato nocere potest, scilicet si spiritus incalescant & justo magis attenuantur, morbi existunt. Heurnius *lib.2. Medic.*

Sic memorat Nathanael Highmorus in Exercitatione sua de hysteriaca passione *pag.35. cap.9.* Generosum quendam sexagenarium & amplius novi, qui ex moschi, ambræ aut hujusmodi vel levi odore statim de dolore capitis insigni non sine narium hæmorrhagia leniendo, conquereretur, Causam refert ad tenuiores & igneas suaveolentium particulas.

Usus Externus in Epilepsia. Usus ejus externus varius est & multiplex, prout quisque expetit & necessitas requirit.

Epilepticus fumus illius, naribus exceptus convenit, siquidem eos excitat, & si assiduè id odorentur, non tam facilè neque tam vehementer eo morbo corripiuntur. Weckerus *pag.82.*

Contra Epilepsiam pone Ambram & C.C. in Vase vitreo super carbones & patiens suscipiat per os & nares fumum & multum valet: Silvaticus.

In suffocatione uterina. Contra Suffocationem Matricis, quæ opprimit Sponsalia, ponatur similiter in vase vitreo cum aliis aromaticis, & recipiatur fumus per os vulvæ: Idem.

Ejus

Ejus asſiduus odoratus prodeſt uteri procidentiis; ſuffocationibus verò in liquidambar diſſolutum & xylo exceptum uterique ori inditum. Weckerus *in Antidotar.*

Johann. Anglicus *in ſua Reſa pag.* 141. ad Rheuma frigidum tale pomum commendat: ℞. ſtyriacis calaminthæ, lign. aloes, Coſti, ſpicæ an. ʒß. Galliæ Moſchatæ ʒj. Moſchi, Ambræ an. pond. Obul. Ladani ʒj. fiat pomum odoratum ex mucilagine gummi. tragacanth. Confortat cor & cerebrum.

Exinde quoque in multiplici forma componuntur medicamenta. Nam hinc nomen ſuum ſortitum eſt Electuarium Diambra Meſuæ, quod cerebrum, cor, ventriculum ac ventrem reliquum inferiorem calefacit, roborat, exhilarat, concoctionem juvat, affectibus uterinis & omnibus aliis frigidis prodeſt, ſenibus ob id ac mulieribus ſalubre. Ipſam deſcriptionem vide apud Meſuen *lib. 3. de Antidotis p. m.* 246. Videatur etiam Pharmacopœia Auguſtana. Hîc loci aſſerventur quoque ad uſum in Pharmacopolio ſpecies Diambra ſ. M. & A. pro mulierib.

Habemus in officinis Confect. Diambræ Meſuæ, magnæ commendationis in virium collectione, maximè in ſenibus. Hoffmannus in Paralipom. Officinal. *pag.* 676. *cap.* 64.

Præterea ingreditur Electuarium Alchermes Meſuæ: Quod cor ac vitales vires validè roborat, ob id Syncopen & cordis palpitationes pellit, cerebro quoque ac animali facultati languidæ eximiè ſuccurrit, nec non ab Apoplexia præſervat. Auguſtana.

Ingreditur item confectionem de hyacintho; quæ Cardiacis opitulatur & lypothymias patientibus, viribus exſolutos ſibi ipſis reſtituit, ſyncopas arcet, animi defectiones ſanat, peſtiferos morbos præcavet, eoſdemque jam factos expellit, putredinem humorum corrigit, ac in malignis febribus cor à tetrarum fuliginum & pravorum corporum inſultu tuetur. Auguſtana.

Horum medicamentorum vires quanquam in diſpenſatoriis paſſim reperiantur, attamen eaſdem & hîc adducere libet, ut eò magis manifeſtetur Laudatisſimæ AMBRÆ Virtus.

Ingreditur etiam Electuarium de gemmis calidum; quod ad frigidos affectus cerebri, cordis, Ventriculi, hepatis & Uteri efficacisſimum, melancholicos, triſtes, ſine cauſa manifeſta timidos, ſoli-

tarios juvat, cordis tremorem & ſyncopen emendat, Ventriculum à frigida intemperie imbecillum roborat, & coctione cum ejuſdem, tùm hepatis meliore redditâ corpus εὔχυμον præſtat, univerſi habitus refrigerationem corrigit, imbecillitatem reficit, lipothymias & uteri præfocationes ſanat. Auguſtana.

Ingreditur Trochiſcos pectorales cum Ambra Auguſtanorum, Hi in Catharro & defluxionibus è capite variis, ad aſperam arteriam & cavitatem pectoris, imprimis utiles ſunt, lentorem catharri incidunt, ſputum promovent, & expectorationi humoris influxi conducunt.

Ingreditur pulverem ſternutatorium delicatiorem Auguſtanorum, qui lentam pituitam ac phlegma craſſum naribus inſufflatus vel iiſdem affrictus provocat: cerebrum à tenacibus humoribus purgat, & osſis ethmoidei obſtructiones expedit, ſi ſcilicet ſtimulis antecedentis pulveris non careat.

Foris quoque uſurpatur non tantùm ad necesſitatem, ſed & *Chiromactra.* ad delicias & commendationem; Inde ſunt Divitum Chiromactra, *Chirothecæ.* Chirothecæ, Strophiola, quin & thoraces & ocreæ ex aluta vel a- *Strophiolæ.* quis delibutæ aut eâdem evaporatæ tinctæq;: Camerarius in Syllo- *Thoraces.* ge ſua memorabilium: *Centur.4.partic.48.*

Ocreæ. Ad Chirotecas ſenibus & naturâ frigidis opem mirificè præſtat: quare iiſdem potiùs, quàm juvenibus Chirotecæ Ambaro imbutæ concedi deberent. Matthiolus *in Dioſc.lib.I.c.20.p.66.*

Veſtimenta. Quomodo Chirothecæ & Veſtimenta ambræ ſuavitate infici & præparari ſoleant, videatur Kuhnraht in Medulla deſtillator. *p.*220.*&* 221. &c.

Mitræ. Ingreditur ſpecies pro Cucupha. Ex quibus fit pulvis groſſus, qui goſſypio ſuſceptus inſuitur pileolo ſerico, interpaſſando.

Pelles. Pelles quomodo odoratæ fiant: ſumito occidentalis Balſami quatuor partes, addatur una Moſchi, tantundem ambaræ & ſpongiâ chirothecas perline & ſuavisſimum halitum vibrabunt. Joh. Baptiſta Porta *Lib.XI. Magiæ Natural.*

Sultanus olim Ægypti Tyrannus, ſolebat cereis immiſcere ambram, voluptati ac valetudini ſimul conſulens. Nos quibus carior eſt umbra, nec opes regiæ, laſeris ſuccum aut thus poſſemus admiſce-

miſcere: nam ut illa regibus, ita hæc privatis magnifica atque decora ac deliciis apta. Cardanus *p.284. de ſubtilit.*

Die Conſervativa und Præſervativa des Gewand und Tuchs/ auff daß kein Schaben darzukommen/ oder ihm kein Schaden thun/ iſt nichts beſſers denn Maſtix, Campher, Ambra, Biſem. Theophraſtus *p.888.b.* *Ad Veſtimenta.*

Veſtiariis adjicitur odoris gratia & ad arcendas tineas. Camerarius citat. loco in Sylloge.

Ex ſolius Ambari aut c. Moſcho & ligno aloes permixti olfactu cerebrum roboratur, memoria augetur, ſpirituum vigor & cordis vires reficiuntur: ideoq; in peſtis contagiis ejus odor apprimè utilis eſt, nec minus his, qui frigidis defluxionibus vexantur, convenit, ſi capitis tegmina atque cubiculum, ubi dormiunt, per hyemem eo ſuffiantur. Nicolaus Monardes *p.301. de ſimplicib. medicament. è novo orbe delatis*, & Weckerus *p.82.* *Capitis tegmina Calottqui. Cubiculum.*

Hûc quoque commodè referuntur, quæ poma ambræ appellantur, licet in eorundem compoſitionem nulla quandoque vel paucisſima ſaltem Ambra ingrediatur. Quemadmodum eſt Pomum Odoriferum Crollianum, quod ingreditur Paracelſi Carbon, quod pomum adhibitum naribus, odore ſuo ſanguinem movet, & cor ſupra modum refocillat in Apoplexia, Colica, ſuffocatione matricis, peſtilenti aura: Excellentiſſ. Schröderus *Cap. de pom. Ambræ*, ubi itidem alia recenſentur poma Ambræ ad fluxum inhibendum *lib.2. pag.230.* & ex Auguſtana duo alia allegantur, quorum primum Cor ac Cerebrum odoris ſuavitate ac fragrantia reficit, ſpiritus cùm vitales tùm animales recreat & fulcit, vertiginoſos juvat, ac capiti à frigida & humida intemperie affecto opem præſtat.

Sequens autem odore ſpiritus inſtaurat & cordi robur addit. Uſui eſt maximè cum aliqua aeris inquinati ſuſpicio viget &c. Auguſtani.

In faſciculo Medicamentorum tempore peſtis, qui adjectus eſt libro de febribus à Beatiſſ. Sennerto videantur poma ambræ, diverſis temporibus pro diverſis Rebuspub. à Clarisſimis Medicis præſcripta. Sic

Pomum Ambræ hybernum *pag. 596.*

Po-

Pomum Æstivale *pag.* 597.

Pomum Ambræ pro pauperibus hyemale *pag.eâd.*

Aliud pomum Ambræ hyberno tempore usurpandum *p.* 637.

Aliud quovis tempore conveniens: *p.eâd.*

Aliud pomum ambræ æstivum: *p. eâd.*

Pomum Ambræ pro Viris: *p.* 667.

Pomum Ambræ pro mulieribus *p.* 668.

Pomum odoriferum *p.*684.

Pomum Ambræ pro peste *p.*685.

Pomum Ambræ aliud *p.* 696.

Egregium pomum Ambræ tempore infectionis vel Antipestilentiale *vid. pag.*56. in Pharmacopœia Celeberrimi Zwölfferi.

Pomum Ambræ Mynsichti vide apud Autorem in Armamentario *p.*184. *sectione* 9. Est specificum odoriferum, quod in Cephalalgia frigidâ, Vertigine, Epilepsiâ, Apoplexiâ, Aurâ pestilentiali malignâ, Colicâ, suffocatione matricis & procidentiâ uteri &c. præsertim quando medicamenta non possunt intra corpus sumi, naribus vel aliis partibus admotum, cor & vitales spiritus supra modum refocillare solet.

Ingreditur Ambra pilulas febriles ad Quartanam, per Orbem Celeberrimi Sennerti, quarum pilularum Massa dicitur Laudanum Mercuriale: Excellentiss. Schröderus in Pharmacopœia sua *libr.* 3. *p.*224. Compositio hæc est:

℞. Ol. ☿ ij saccharat. ℥j.
aloes succotr. ℥ß.
Ambr. Grys. ʒij.
Croci ʒijß. vel Essent. Croc. ʒj.

purgat per inferiora, nonnunquam per sudorem. Dos. ℈ß. ante paroxysmum cum Conserv. v. gr. rosarum.

Ingreditur Bezoarticum ☉lare Mynsichti ad ℈j. *p.*57.

Ex Massa Ambræ factæ pilulæ & manè sumptæ flatus discutiunt, concoctionem juvant, & appetentiam excitant; idem præstat ex Vino odorifero manè sumta hæc massa. Weekerus *p.*82.

Sterilitati à frigidis humoribus ortæ hâc compositione mederi soleo, quæ Recipit Ambari partes duas, rasuræ Eboris tenuissimè tritæ unam, pulveris ligni aloes partem dimidiam cum algaliæ momen-

mento, fiant catapotia, quorum tria pendentia drachmam unam singulis triduis dabuntur. Weckerus ex Nicolao Monarde.

Quibus anima fœtet & quos deformat hircus, quiq; sibi metuunt à fœtoribus seu pestilentialibus seu aliis, gestare solent seu solam, seu in pastillos massasque conjectam. Camerarius in Sylloge sua citato loco; ad illud Horatii: *Pastilli & Massæ. Ad Hircum.*

Pastillos Rufillus olet, Gorgonius Hircum.

Porrò Massæ Ambrinæ includuntur bullis aureis, argenteis vel capsis aliis, manubriis cultrorum gladiorumq; & nodis, ut inde quandocunque opus est, contra fœtores & frigora subsidium sit præstò! Idem Camerarius.

Cum oleo mali aurantii in calente mortario per mixtum & unguenti modo capiti illitum, illius dolorem levat, cerebrum roborat & nervos, & frigidos, qui infarcti sunt, humores, resolvit: ad eadem efficax Emplastri modo cum Alypta Muscata assiduè gestatum. Weckerus ex Nicolao Monarde *libr. de simplicib. medicam. cap.7. pag.*301. *Unguentum.*

Ad ventriculum fovendum utor nunc inunctione ex medulla vitulina cum oleo NM. Crato *in Epist. Medicinalib. Scholtzii Epistol.* 26.

Emplastrum ex Ambra Calvis & imbecillitates ex frigore capitis sentientibus, commodum, à gestante uon percipitur, ubi paululum assueverit. Clarissimus Jonston. lib. de Admirandis *lib. IV. fossil. cap.* 11. *p.*135. *Emplastrum.*

Scobi Magnetis galbanoque miscetur, & emplastri modo mulierum umbilico impositum, uterum suo loco retinet, & reliquos ejus morbos profligat. Nic. Monardes *pag.*301.

Qui Calvi sunt & imbecillitates capitis ex frigore sentiunt, & quibus in conflictu denudata meninx est, cranii parte divulsa, his utile fit Emplastrum ex Ambra, quòd officio cranii perfungitur: Si rectè memini Clarissimus Jonston.

Ex eo, Alypta Muscata & styrace fit Emplastrum scuti forma, quod stomacho appositum, eum doloribus liberat & excalefacit. Monardes & Weckerus.

Pessus factus ex styrace Calamita, ambra & moscho non pa- *Pessus.*

 rum

rum juvat. Ex Plateario Gesnerus lib. de quadrupedib. *tit. de Moschi Capreolo p.* 791.

Pro præservatione ab Apoplexia Caput singulis septimanis abluat ante cœnam & posteà aeri se non exponat: In lixivio decoquatur majorana, rosmarinus & rosæ, & adhibeatur sapo medicatus, hoc modo factus:

Sapo pro præservatione ab Apoplexia.

℞. Saponis Veneti vel Hispanici ℔j.
Rad. ireos.
Santal. Citrin. an. ℥jß.
Ambræ ℈ß.
Ol. charyophyll. gutt. iij.

Dissolvatur Sapo in aq. rosarum & commisceantur.

Crato. *Consil.* 37. *p.* 98. *in Consil. Scholtzii.*

NOTA Septalii: Non placet, quod aliquibus visum est, ambram oleo balanino dissolvi, quod quamvis minus rancescat, humentiores tamen reddit trochiscos, inde etiam mucidi redduntur. Præstabit igitur aqua rosacea dissolvere, & cum eâdem omnia unire.

Non prætereundi sunt pulveres ad capillitia, undecunque surrepta & convasata, adornanda, capillorum verò cæsariem nonnullorum decorandam, fucandam verò sæpiusculè & deformandam, quibus admisceri solet ambra non illiberaliter.

Nec relinquenda Massa Barbitonsorum est, qua calamistris inunctis masculorum vibrare cæsariem solent, ut Arnobii verbis utar, *lib.* 2. & barbam.

Huc quoq; referenda est Massa fumalis cum & s. M. & A. Item Candelæ fumales.

Imprimis commemoranda jam venit Essentia AMBRÆ

1. Secundum Mindererum.

℞. Elixir Vitæ Matthioli ℥ij.
Aq. Epileptic. Langii ℥j.
Ambræ ℈j.
Moschi Oriental. gr. iiij.

Fiat infusio per aliquot dies, deinde filtretur. Præstans hoc & illustre remedium animum & spiritus vitales reficit, in omnibus orga-

nis

nis facultatis animalis, ita ut in Vertigine, ſcotomia, caligine oculorum, capitis frigidis effectibus excellentisſimum ſit: Auguſtani: Quam Eſſentiam Zwölfferus in ſuis animadverſionibus *pag.* 434. admodum notat & potiùs Eſſentiam Ambræ ſiccam commendat hiſce verbis; ſi quiſpiam Eſſentiam Ambræ ſiccam deſideret, quæ & commodius circumferri posſit, & meo judicio præcedentem viribus ſuperet, licet Ambra in ſubſtantia ipſi commiſceatur, confici illa poteſt modo ſequenti:

℞. Ambræ gryſeæ drachmam unam

Diſſolvatur in olei deſtillati Cinam. vel ſi lubet olei citri aut Macis &c. drachmâ unâ in mortario vitreo, cui adde Sacchari Candid. pulveriſ. Uncias duas plus minusve.

Miſceantur benè, fiatque Eſſentia Ambrata Nobilisſima, quæ vino & quibuſcunque liquoribus diſſolvi & commiſceri poteſt, delicatulis viribusque exhauſtis ægrotantibus, ſummoperè inſerviens.

2. Eſſentia Ambræ ſecundum Excellentisſimum Schröderum in ſua Pharmacopœia

℞. Ambr. gryſ. p. j.
ol. amygdal. dulc. p. ij.

Impaſta ac digere ♂ aliquot, poſteà exprime: Expresſioni affunde Spir. Vin. rectificatiſs. digere ac deſtſtilla per arenam. Sic elevabitur c. Spir. Vin. Eſſentia quoq; Ambræ, relicto oleo amygd. dulc. in fundo. Abſtrahe igitur Spir. Vin. leni calore ad conſiſtentiam olei. Doſis g. paucæ.

3. Eine Eſſentiam Ambræ zu machen ſecundum M. Thomam Kesler. im dritten hundert außerleſener ſpagyriſcher Proceß *num. 73.*

Nimb Ambram Griſeam, darauff geuß Spiritus Sulphuris etliche Tropffen / und ſetze es an einen warmen Ort / wenn ſie es nicht wil angreiffen / ſo geuß darauff phlegma Vitrioli, und ſtells in die Wärme / ſo wird die Ambra ſchwartz und Viſcoſa, wie ein Schuſterhartz / die Ambram nimb heraus / geuß darauff einen guten Spiritum Vini, ſo extrahirts ſeine Röthe und Tinctur / die behalt als ein köſtli-

ches Kleinod: Denn es eine überaus köstliche Artzney ist/darvon des Tages zweymahl eingenommen/frühe und Abends/ jedesmahl einen Löffel voll / dieses ist eine mächtige Blutreinigung / wehret der Fäulung und verhindert den Aussatz.

Cum hac fere concordat modus Extrahendi Quintam Essentiam vel oleum Ambræ, quem habet Kuhnrath in Medulla destillatoria *part.2. pag.*217.

Oleum per artem exhibet nobile. Libavius *lib.4. c.2. singular. pag.* 317.

Huc pertinet Ambra Moschata Mynsichti.

℞. Ambræ gryseæ & puræ ℥j.
Moschi odoratiss. ʒj.
Elæosacchari Citri ʒß.

Misc. & f. pulv. subtilissimus, qui irroretur sp. Rosar. ardente & iterum exsiccetur, hic labor aliquoties repetatur, & usui reponatur.

VIRES, USUS, DOSIS hujus videlicet medicamenti, Calefacit & siccat, cerebrum confortat, cor roborat, & omnibus ipsius affectibus succurrit, Dolorem capitis diuturnum mulcet, Albugines oculorum tenues detegit, humidas oculorum defluxiones consumit, senibus & naturâ frigidis mirificè opem præstat, Vino infusa temulentos efficit, Dosis à gran. iiij. ad vj. & viij. ad summum, in vino generoso vel in alio vehiculo appropriato.

Quæ ipsa Descriptio Ambræ Moschatæ si non coincidit, tamen bonam partem convenit cum illo medicamento, quod Hartmannus in sua praxi chymiatrica describit *pag.36.* Et Rosenbergius in sua Rhodologia Regium atque Imperiale appellat, maximopere commendat, & hisce verbis recenset: Ex eodem spiritu Rosar. Ambra & Moscho Regium illud medicamentum corroborans Rudolphi II. Imperatoris sacratissimæ memoriæ; quod à Serenissima sapientissimaque Angliæ Regina Elisabetha liberali communicatione acceperat, utrique olim usitatissimum, compositum erat hoc modo: Rec. Ambræ opt. ac puriss. partes octo, Moschi electissimi, odoratissimi partem unam, sacchar. candid. vel Canariensis candidissimi pauxillum, subtilissimè pulverisentur: posteà marmori imposita cum spiritu rosarum rectificato terantur, & quidem diutius,

sæ-

fæpiùs aliquantulum de spiritu rosarum affundendo, donec totum reddatur instar subtilissimi pulmenti; Quod in phiola vel parva cucurbita vitrea Hermetis sigillo diligentissimè munita recondatur atque æstivo tempore in terram defodiendo per mensem vel sesquimensem, donec totum fiat homogeneum, quod elapso tempore denuò cum spiritu rosarum recent. terendo distemperetur, atque iterum priori modo reponatur. Posteà ad usum reservetur: *part.2. cap.23.p.*258. & paulò post: Caput, cor & alias humani corporis partes omniaque viscera interna mirè roborat, spiritus recreat, sensus acuit, memoriam firmat, vim procreandi insigniter promovet, & verè Imperiale medicamentum est, Dosis grana iij, iiij.v. vel pisi magnitudine. Exhibetur autem vel in vino generoso, vel alio liquore vinoso, vel in aqua cinamomi vel syrupo granatorum, Borraginis, Rub.Id. &c.

Processus Arcani Ambarini videatur apud Fabrum in Myrothecio suo Spagyrico *cap.*16. *pag.*42. & 43. Ubi simul ejusdem vires collaudantur. Recipit autem Ambari vel Zibettæ vel Moschi ℔j, aut ß. præsumptio est, haud exiguam habuisse copiam eorundem.

QVÆSTIONES.

QVÆSTIO I.

An Balæna, quam Indi Azel vocant, ab ambra devorata extinguatur?

℞. Ita scribit Avicenna loco sæpiùs citato: Ambra nigra multoties assumitur ex ventre piscis, qui eam comedit & moritur. Et Serapio de simplicib. *c.*196. Illa Ambra quæ alba sicut ovum Struthionis est mala, & ea est, quam devorat piscis magnus, qui dicitur Azel, qui, quando deglutiverit eam, occiditur ab ea, & natat super aquas maris mortuus, quem videntes homines de Zing, projiciunt super eum uncos ferreos & funes, & extrahunt ambram ex ventre ejus, & est Ambra non bona maximè, quæ in ventre reperitur, & nominant eam Apothecarii Persidemandi. Verùm illa, quæ reperitur, juxta spinam dorsi est pura & munda multum & valdè bona, & hoc secundum quantitatem moræ, quam facit in ventre piscis:

Hæc ille. Sed audiatur Scaliger: Fabula ſanè eſt, Balænam quam Azel Indi vocant, Ambrâ devorata extingui: Namque in Oceano multum Ambræ legitur, Balænæ multæ vivæ quotannis expugnantur, nullum reperitur Cadaver, niſi quod venabulis & jaculis & dolabris fecerint ipſi Cantabri. Et Garcias ab Horto, cum eademmet verba ſecundum verſionem Caroli Cluſii *lib.7. Exoticorum cap.*1. de Ambaro recitaſſet, tandem addit. Hæc eorum opinio erronea mihi videtur, nam veluti certum eſt, animalia quærere alimentum naturæ ſuæ conveniens & minimè noxium (niſi fortè cibis innoxiis admiſto decipiantur, quemadmodum mures fallere ſolemus) ſic etiam haudquaquam veriſimile videtur, hunc piſcem Ambarum venari, ſi eo devorato ſit periturus, Imò cum Ambarum ſit ex eorum numero, quæ maximè cordis vires reficiunt; dixerim hunc piſcem præſentaneum eſſe venenum, quandoquidem tàm eximio medicamento perit.

Rectiùs itaque hæc quæſtio deciditur verbis, quæ extant in Hiſtoria Mexicana Joannis Fabri *pag.*575. Quod ſi ullam ex Ambræ paſtu Balænam unquam interiiſſe contigit, id copiæ potius ingeſtæ, quàm deleteriæ pretioſi hujus odoramenti facultati tribuendum arbitror. Nam & vini ac panis, quorum hic corpus, illud Animæ vinculum, ſpiritus maximè refocillat, nimia quantitas veneni vicem ſubit.

QVÆST. II.

An Ambra inebriet, & quomodo?

℞. Ambarum vino infuſum temulentos efficit: Matthiolus in Dioſcorid. *lib.*1. *cap.*20. *pag.*66. & Adrianus Toll ad praxin auream Stöckeri citato ſæpiùs loco: Illud admiratione dignum, quod Simeon Sethi ſctibit, ſi quis Ambarum odoretur, antequam vinum bibat, eum veluti ebrium fieri, ſi verò injiciatur vino, maximè inebriare. Ambra ex vino pota ilicò inebriat. Heurnius *lib.2. M.M. cap.*5. Idem præſtat Ambra Moſchata Mynſichti à gr. IV. ad VI. & VIII. Quod ipſum itaque cum ſatis notorium ſit, non immorabimur diutius in illius probatione, quomodo autem fiat, inde eſt manifeſtum: Divinum quid obtinet Olfactus, ſcribit Cardanus

lib.

*lib.II.de Medicis contradicentibus pag.*948. Unde etiam Antiqui Diis ſacrificabant odoribus, thymiamata appellabant, quæ in altaribus incendi ſolebant, fragrabant hæc incredibili ſuavitate atque ideò ſpiritus hæc reparant, mirumque in modum reſtaurant, unde autor libro de Viribus Cordis odorata collaudat: tum etiam Avicenna plurimùm ad reparationem virium ac animalis ſpiritus prodeſſe putat. Quod ſi jam paulò liberalius quis indulſerit genio, compotando, is nimio plus replet cerebrum, diſtendendo ejus vaſa ſpirituum copiâ: qui ex Ventriculo ſurſum elevantur, atque illud eò citiùs, quo vinum eſt generoſius & magis penetrans; Diſpoſito ita cerebro & adauctis ſpiritibus juſto nimium influunt in corporis partes, hinc oculi micant & circumagi videntur omnia, ac in gyrum verti, lingua hallucinatur ac titubat, pulſus eſt fortior, & neq; pes neque manus ſuum rectè officium facere poſſunt: Ambra deinde, quando ſupervenit, injecta ſcilicet vino, ſuam per vinum undiquaque diffundit virtutem, non ſolùm ut ore aſſumi, inſimul cum ſpiritibus vini aſcendere, ac cerebrum ejusque vaſa replere potis ſit; ſed & per nares & olfactus organon odoris fragrantia in tantum afficit ſpiritus, ut non tam inebrietur homo, quam animales ſpiritus à tam amicabili aura, quaſi conſopiantur.

QVÆST. III.

Quare ab uſu Ambræ Uterus dicatur ſurſum moveri vel quaſi, atq; ſic excitetur ſuffocatio?

℞. Quò debilior eſt fœmina mobiliorq; eò facilius ab Ambra & Moſcho ei convellitur Uterus & caput dolet. Clariſſ. Jonſton.lib.de Admirandis *lib.*4.*foſſil.cap.*11.*pag.*135. Et quò gratiùs eſt naribus odoramentum eò avidiùs excipitur, adeò ut & quovis conatu vel intenſiori odoratu quaſi contrahatur abdomen ac ſurſum moveantur ſpiritus, (Nam odorifera effluvia intus per anhelitũ attracta primò odoratũ, deinde vitalium membrorum ſpiritus ex ſimilitudine quâdã naturæ, mirificè recreant excitantq;, Acutisſimus

Atha-

Athanaſ. Kircherus in Scrutinio peſtis *p.m.*50.) qui ad odoratus organon in arce corporis reconditũ quaſi ruunt, ut participent de refocillatione, quibus ſpiritibus inſimul & humores ſeſe adjungunt, etenim quanquã non humores, ſed ſanguis ſpirituũ ſit vehiculum, attamen humores ſanguine ſemper comitantur, ut in defectu ſanguinis, ſi fortè eveniat, humores ſint præſtò & in quantum posſint vicem teneant, ne partes corporis omni prorſus humido deſtituantur, namque ſic ab Omnipotente DEO Conditore proſpectum eſt providæ naturæ, ne corporis partes continuâ deſtituantur irrigatione: Hinc ſpirituum, ſanguinis & humorum affluxus nimius surſùm tendendo cor & pulmones quaſi obruit in itinere ac replet, ut ſuffocationem minitari videatur (& nonnunquam cauſet) quod exinde patet, dum exteriores corporis partes calidâ aurâ privatæ plerumque frigeſcunt, calore verò in iiſdem partibus reparato, malum ceſſet, & ægræ ſeſe extemplò habeant meliuſculè, quod fit, dùm fætida naribus applicantur, & quò fuerint fortiora vel magis talia, tantò citiùs ceſſabit malum, à quibus ſpiritus non ſaltem non refocillantur, ſed fugantur, dum ægræ nares contrahunt & nauſeant, & cum ipſis ſpiritibus etiam ſanguis & cum ſanguine humores cedunt retrò & priſtinum locum occupant, hinc non ſine cauſa *faſciæ* adhibentur & ligaturæ, ſcilicet ut ſanguis & humores aſcendentes revellantur & cucurbitulæ applicantur cum multa flamma ſine ſcarificatione ſuris & femoribus, ut idem ſanguis & humores revocentur. Quod verò non itidem in maſculis & nonnullis quandoque fœminis (quarum pori ſunt patentiores, ac ſic diaphoreſis major) non tam gravia generentur ſymptomata, hinc fit, quod igneæ particulæ facilius exſpirent & disſipentur. Nathanael Highmorus in tractat. de pasſione hyſterica *p.*36. Interim negandum non eſt, & Uterum ſua ſingularia habere accidentia, & imprimis exquiſitiorem ſenſum, unde eò citiùs poteſt affici & in conſenſum trahi; proinde Ambra & Moſchus hyſtericis vitanda. Duncanus Liddelius *l.*3. *cap.*5.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Quid ſentiendum de Liquidambra?

℞. Liquidambar vel Liquidambra (quaſi Liquida ambra ob odoris ſuavitatem) eſt Reſina oleaginoſa ſuavisſimi & fortisſimmi odoris effluens ex arbore quadam procera ac venuſta. Calefacit. 2. (oleum 3.) humect. 1. reſolvit, obſtructiones expedit, emollit, maturat, uſus præcipuè in Utero Obſtructo ac indurato, tumoribus duris &c. Adhibetur mechanicè in perfumandis (ut ajunt) coriis ac chirothecis: Excellentisſimus Schröderus in ſua pharmacopœia: Ex quibus ſatis conſtat, nullam habere cognationem cum noſtra Ambra, niſi quod odoris fragrantia eandem quadantenus imitetur & ſui nominis appellationem inde ſortita ſit.

QVÆSTIO V.

Quomodo fiat, quod roſtella avicularum, conchylia item & Oſtrearum teſtæ, item Osſicula de ſepiis & avium unguiculi aliæq; res, ut lapilli (videatur Muſeum Olai VVormii) in laudatisſima Ambra inveniantur quandoq; ?

℞. Weckerus *lib.1. de Marinis ſect.7.p.m.78. Antidotarii ſui ſpecialis* ex Garcia ab Horto hæc habet: Refertum eſt plerumque avium roſtris, quas in eo nidulari credibile eſt, interdum conchyliis teſtisque oſtrearum permixtum invenitur, quæ contactu Ambaro adhærent, & in eundem Garciam ab Horto Carolus Cluſius: Hujuſmodi roſtella in ambaro reperta mihi dedit M. Hugo Morganus Pharmacopœus diligentisſimus, ſed ea non avium, ut putat noſter Autor, verum ſepiarum eſſe de-

præhendi. Et Johan. Hugo Lindſchottanus *cap.* 70. *p.* 75. ſcribit: Ambarum cum teſtis ac ſtercore marinarum avium in eo nidificantium mixtum apparet: Et Ampliſſimus Dominus Olearius Illuſtriſſimi Holſatorum Ducis Mathematicus in Itinerario Nobiliſſimi Mandelſchlo commemorat *paginâ* 70. **Es hat mir einſt ein Vornehmer Materialiſt / Herr Paul Langermann zu Hamburg ein groß Stück Ambra Grieß gezeiget / in welchem eine gantze Klaue von einem Vogel-Fuß einverleibet war / iſt zu verwundern / wie?**

℟. Res eſt manifeſta, de modo & occaſione eſt diſceptatio atque ideò inveſtigatione digna. Quod ſi propemodum omnes penſitemus opiniones & hoc quæſitum ad certam aliquam applicare velimus, nulla videtur accommodatior, quam decima octava ſive ultima, quâ ſtatuitur, Ambram ab avibus in montium cacuminibus Inſulæ Madagaſcar, hodiè Inſula S. Laurentii nuncupata, imprimis in promontorio ſeu Capo d' Ambra & adjacentibus Inſulis excerni in Saxa & loca declivia ab alluvione maris non ita tuta: hinc conjectare licet, in ejuſmodi loca tempeſtatis impetu ac procellarum vi quandoque Conchylia, ſepias atq; oſtreas ejici, refluxu verò maris citiori ibi ſubſiſtere & fortè ab avibus congregatim inibi habitantibus conſpergi, & in maſſam ambræ recludi, ut quaſi ſtudio impacta vel à natura ingenita eſſe videantur, ſine noxa corruptionis integra: Corrumpi enim id poſſe, quod ab aeris attactu immune eſt, & tam exquiſito adverſus putredinem munitum eſt medicamento tutelari, veriſimile non eſt, & quod adducit Ampliſſ. Dn. Olearius, **daß eine gantze Klaue von einem Vogel-Fuß einem Stück Ambra einverleibet geweſen /** hæc fortaſsè ratio dari poteſt. Ejuſmodi Avis Incolis in Madagaſcar *Aſchibobuch* dicta, vel quemadmodum eas appellat ad Idioma

Insulanorum de Insulis Maldivis, Ferdinandus Lopetz de Castagneda *Anacangrispasqui* (vel aliæ etiam ac minores aviculæ) vel senio confecta, vel morbo emaciata, vel pugna sauciata & dimicatione defatigata, vel quocunque modo interempta decidere facilè potuit ac mori, numne deinde temporis tractu ejusmodi unguiculi ac rostella à dictarum avium excrementis tegi atque temporis tractu obduci potuisse sit verisimile? Sine cujusquam offensa hæc adjicio, me malle Ambram puram, sine rostris, sine rostellis, sine sepiarum ossiculis, sine avium unguiculis, sine conchyliis, sine ostrearum testis aliisve id similibus, quoniam præsumtio est, in fimo computruisse sepias & ostreas & conchylia, unde deteriora effluvia & putredinis quippiam nobilissimæ Ambræ facilè communicari potuit: Quid dicam de rostellis & rostris avium, item de unguibus, quæ omnia potiùs expellendi facultate vel quasi prædita sunt, & ad exteriora sese exserere, sed reverà non virtute suâpte. Etenim nunquam, quod ad exteriora tanquam minus nobile fuit expulsum, à natura coaptabitur cum corporis partibus & in earundem nutrimentum abibit: Id quod liquidò apparet in C.C., in Ung. Alc., in Un. Cor. in Unguium Microcosmi fabulosa & superstitiosa sculptura &c.

QVÆSTIO VI.

Unde Ambra & quidem optima appelletur Chrysea?

℞. Vulgò nennet man es Ambra und Ambar, in den Officinis Grysea, solte aber heissen Chrysea. Lonicerus: Unde autem Chrysea scribi debeat, ex duobus potissimùm fundamentis colligere licet. Primò constat ex Ferdinandi Lopetzii relatione superius *pag.* allegatâ, probatissimam ambram illam esse, quæ ipsis scopulis uti egesta est, inhæret, & dici Pona ham-

bar, id est, auream ambram. Aurea autem ambra & Chrysea, quomodo differunt, nisi linguæ diversitate? quare verò aurea sit appellata, inde conjectare licet, quod propter virtutes suas excellentes semper magni constiterit, adeò, ut auro plus valeat, dum inter Cæsarum dona præsentata quoque fuit, quemadmodum supra allegatum *pag.* 25. Et Crato id innuere videtur, quando *Epist.*126. scribit: Memini me usum Ambræ, quam verè Chryseam Veteribus dictam puto in Consilio contra pestem probasse, & felici successu in morbis pestilentialibus usum fuisse. Et *Epistol.* 137. Ego Veteres Ambrâ Sulphureâ, quam verè Chryseam appello in morbis pectoris & aliis usos arbirror, eamque plurimum juvare ac verè huic θεῖον inesse reipsâ comperi.

Deinde notum est ex Geographis tàm Vetustioribus quàm recentioribus, Insulam Japan appellatam fuisse *Chryse*, quemadmodum id testatur Johannes Myritius Melitensis Ordinis Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani Commendator, Alemanni Monasterii &c. in suo opusculo Geographico edito Ingolstadii ex officina Wolffgangi Ederi Anno 1590. pag. 127. Paucis abhinc annis haud multis cognita fuit Japonica Insula à M. Paulo Veneto Zipangri & olim *Chryse* dicta. Quod idem etiam testatur Marcus Henningus in Historia Chinæ edita Francof. ad Mœn. Anno 1589. & Ortelius in Tab. Tartariæ: Ex qua Insula primùm innotuit fortè, dum à Mercatoribus per Chinam, Indiam & Persiam, vel per Arabiam ad Alexandriam, deinde verò per mare Mediterraneum in Europam transvehi facilè potuit, antequam detecta est via Australis, atque sic ab Insula, unde allata primum in Arabiam est, cognomen accepisse videtur. Nam Arabes ut ex suprà allegatis constat, in Artem nostram Ambram induxerunt & Belgæ Anno demum 1595. Insulam Madagascar invenerunt. Prætereà non frustra scripsisse videtur Matthæus Dresserus in descriptione Chinæ,

Daß

Daß von Bisem und Ambra in China jährlich werde Ungeld gegeben zehenmahl hundert tausend und fünff und dreyßig tausend Tacs / derer einer gildt zehen Real. Sic quoque eâdem viâ afferri in Europam Alexandriâ Ægypti, ac etiam ex Indiæ Orientalis provinciis Malavar, Java & similibus Cardamomum & grana Paradisi scribit Excellentissimus Schröderus Cap. de Cardamomo & granis Paradisi. Et cap. de Spica Indica, Radix ex India Alexandriam, atque inde Venetias & in Germaniam transportatur.

Et in summo pretio haberi ipsam Ambram in Insula Japan, exinde elucescit: quando Francoys Caron & Joost Schoute in Jappaniæ & Siam Descriptione nuperrimè editâ scribunt *pag.* 36. & 236: Quod quando Jappaniæ Cæsar Jappaniæ Hæredi Dayro devotionem suam contestatur singulis lustris juxta *p.* 36. exhibere eidem soleat inter alia dona, quinque Catinos argenteos plenos Ambrâ *pag.* 236.

QVÆSTIO VII.

An quicquam probabilitatis ad Ambræ originem accedere possit ex Moschi & Zibetti historia?


℞. Moschus ex abscessu prope umbilicum animalis cujusdam profluit, referente Gesnero, scribit Nathanael Highmorus *pag.* 37. *cap.* 6. *de hysteric. pass.* Et Autor Musei Calceolarii Andreas Chioccus: Moschus nihil aliud est, quàm pus in Apostemate Capreæ Moschiferæ: Et Vincentius Burgundus in Bibliotheca Mundi *libr.* 19. *Speculi naturalis cap.* 93. de Musquelibo & Musco hæc habet: Musquelibus est bestia Orientalis, capreolæ magnitudinem habens, in cujus inguine crescit apo-

ſtema de collectis humoribus. Quod cum maturatum fuerit, collidit illud & fricat ad arborem, ſicq; ſolvitur & diſcurrit ſanies, ibique condenſatur & induratur, & hujuſmodi ſubſtantia *Muſcus* vocatur. Omnis etiam caro ejus & ſtercus dicitur muſcus. Sed ille multò melior eſt, qui ex apoſtemate currit. Muſcus odore perdito virtutem ſuam in fœtoribus & latrinis recuperat, contra fœtorem eluctatur, & ſic quaſi luctamine reviviſcit. De quo Muſco ulterius videri poteſt à Vincentio citatus Conſtantinus in libr. Graduum. Et Zibethum nihil eſt aliud, quàm excrementitius lentor, aſſerente Geſnero *l. de Quadrup. Tit. de fele Zibethi p.* 949. juxta inguina exſudans vel potius emanans Civettæ, felis atque melis figuram imitans, quemadmodum Excellentiſſ. Bartholinus in ſuis obſervationibus id pluribus recenſet, quanquam Joan. Leo Africanus idem haud ſentiat de fele excrementum emittente, quando ſcribit: Sunt hi feles naturâ Sylvatici atque in Æthyopiæ ſylvis reperiuntur, Mercatores catulos ſaltem comparant, quos lacte, furfure & carne nutrientes in caveis alunt, Excrementum verò bis vel ter ſingulis diebus excipiunt, quod quidem animalculi ſudor eſt, nam virgulâ crebris ictibus percuſſum frequenter per caveam agitatur, donec erumpat ſudor, quem ſub coxis, brachiis, collo & cauda excipiunt: quod quidem excrementum vulgò Zibethum dicitur. Utriusque figuram cum non in omnium manibus ſit, ac non facilè reperiantur exactè, ideò hîc apponendas curavi. Et quidem *Capreæ Moſchiferæ* ſive *Muſquelibi* ſecundum Vincentium Burgundum ex Muſeo Calceolarii, *Civettæ* verò figuram à Petro Bellonio in ſuis obſervationibus plurimarum ſingularium & memorabilium rerum *libr.* 2. *cap.* 20. deſcriptam & primum ligno inciſam, à Carolo Cluſio autem melius atque accuratiùs deſcriptam in curis poſterioribus *pag.* 57. Videri etiam poteſt ejus figura in Itinerario Johannis Jacobi à Breuning *pag.* 123. *cap.* 13. Item apud Matthiolum: Quid autem dicam de ovis, Ackari piſcis, quæ ad tres vel quatuor paſſus ab aqua in terram ponit, quæ ſaporem


Mo-

Ad pag. 70.


Musquelibus Animal Moschiferum



Pellicula sive Folliculus Moschi abscissus



Civetta



Moschi habent? sicut id testatur Nierembergius *libr. II. cap. 6. pag.* 246. in Historia Naturæ, tanquam oculatus testis? Et quid dicendum de Ictide seu Mustela Sylvestri aliàs Marte, cujus Excrementa Moschi odorem quadantenus imitantur: Laurentius Eichstadius de confect. Alchermes *pag.* 60. Deinde verò quantum probabilitatis argumentum suppeditabunt Glires, non de quibus ambigit Hermolaus, quando de Moscho loquitur, an muris peregrini pellicula sit ex animali, unde habetur Zibettum. Cælius Rhodiginus *libr.* 24. *cap.* 25. *pag.* 940. Id verò (pergit Cælius paulò infrà) ex Arbitro esse, Hieronymus testatur, ubi ait: Cincinnatulos pueros & calamistratos & peregrini muris olentes pelliculâ: de quibus illud Arbitri est, Non benè olet, qui semper benè olet. Quos tamen Autores Gesnerus *libr. de quadruped. pag.* 787. conciliare desiderat, quando scribit. Hieronymus fortè per muris peregrini pelliculam folliculum animalis moschi intellexit: nam in eo adhuc piloso moschus includi afferrique solet, ut fortè muris genus esse putarit, nominis vicinitate deceptus Mus Muscus ex Æthiopia Arabiaq; venit; Neque quos Itali in summis deliciis habebant, atque ideò ad nutriendos illos & impinguandos (ut Varro scribit, si rectè memini de Re Rustica) peculiaria habebant gliraria: Sed quos Muscovia alit, si vera est fabula, (vulgò Biesem Ratten) quorum detracta cutis cum integra cauda talem spirat odorem, ut moschum si non superare, ei tamen non cedere videatur, cumprimis quando caudæ magis sunt inflatæ ac turgent, eò intensius suppeditant odoramentum, eandemque virtutem amittunt, quo fiunt aridiores caudæ, in quibus illa vis residere traditur. Elucet exinde tam peregrinum atq; absurdum non esse ambram ab avibus excerni, cùm etiam Moschus sit sanies ac putrum putũ pus ac Zibettum sudor vel rectiùs excrementitius juxta inguina lentor; Ea propter non sine causa meminit Gesnerus cit. loco: Moschus Venetis Matronis non placet, quibus nec Zibethi sordes. Et qualem spiret odorem Zibettum, quando ejus copia quædam suppetit, experiri poterit is, qui nondum novit. Addere hic libet verba Francisci Baronis de Verulamio, quæ habet

habet *paragrapho* 835. *de fœtidis & fragrantib. odorib. pag.* 929. *in Historia Naturali*: Ex plerisque putrefactis fœtor effluit, aut enim fœtent aut mucent. Causa possit esse, quia putrefactio consistentiam præstat contrariam consistentiæ corporis sanitate vigentis, cum mera sit istius formæ dissolutio. Datur & alia ratio ex naturæ petita recessibus, quod objecta sensui grata habeant æqualitatem & quasi ordinem in contextura sui; ubicunque illa cessant, objecta fiunt ingrata. Sic pugnantium colorum miscela non blanditur oculis; neque discordium sonorum confusio aures capit; cibos varii saporis non ritè temperatos gustus damnat; Corporis hirsuti asperitas tactum offendit. Jam verò non dubitatur, quin putrefactio, cum prioris formæ ordinem turbet, mera sit confusio, & rudis indigestaq; partium moles. Nihilominus tamen mirum & priori observationi adversarium, putrefactiones alias & excrementa probi esse odoris, ut moschum & Zibettum, atque, ut quidam censent, AMBRAM. Hactenus Baro de Verulamio: Quâ autem virtute Laudatissima Ambra tàm amicabilem & refocillantem spiret odorem ex sequenti quæstione erit manifestum. Nam & istûc quoque inclinat Baro de Verulamio, quando in eâdem paragrapho scribit, Nucis Myristicæ esus imbuit urinam odore suo.

QVÆSTIO VIII.

Unde Nobilissima AMBRA tales ac tantas virtutes refocillandi vitales spiritus habeat?

℞. Sennertus in tractatu de infantium curatione *part.* 1. *cap.* 3. *de Vitiis lactis* scribit: Brutorum lac pro pascuorum ratione varium colorem, odorem & saporem contrahit, quapropter, si mater vel nutrix porro, cæpis, frixis, salsis, acidis, cibis nimis aromatibus conditis, oleribus, raphano & similibus vescatur, si irâ vel aliis animi affectibus perturbetur, si libidine tentetur, si ai-

ſi nimium vigilet, varias mutationes lac inde ſuſcipit. Hæc Celeberrimus Sennertus. Deinde experiri licet quotidiè, quod ſi paſcua feracia ſint & abundent allio colubrino (quod cumprimis appetunt Vaccæ) & porro ſylveſtri, non ſolùm lac, ſed & lactis florem atque adeò ipſum butyrum inde confectum redolere & ſapere ſaporem allii: Quâ de cauſa hæc allegaverimus ex conſequentibus patebit: Nam aſſertio fuit, ut ex ſuprà dictis & allegatis conſtat, AMBRAM laudatisſimam ab Indiæ Orientalis in Inſula Madagaſcar, Zeilan, Necubar, Sumatra, Java, Timor, Maldivis, Palanduris, Sorellis, Zanzibar, & aliis adjacentibus Inſulis inibi habitantibus & vnrſantibus avibus ſuam habere originem, unde verò virtutem hanc dictæ aves nactæ ſint ac habeant, expedire difficile eſt. Juvabit autem allegare nonnulla, quæ ſi non ſunt manifeſtæ certitudinis, attamen non exiguum ſuppeditabunt probabilitatis argumentum. Bezoar Orientale vim ſuam ac Virtutem Alexipharmacam, quam habet, Autores referunt ad radicem, quâ veſci ſolet Cervi capra vel Capri cerva ſcilicet ad radicem Contrayerva. Et quæ reperiuntur pilæ in Rupicapris (vulgò Gembſen Kugeln) quæ in Rhætorum & Valeſianorm præcelſis rupibus vivunt, ſuam virtutem habere cumprimis ab eſu radicum Doronici, quibus veſci ſolent & delectantur Rupicapræ: Id quod teſtantur Caſpar Bauhinus lib. de lap. Bezoar, & Georgius Hieronymus Velſchius in Diſſertatione de Ægagropilis. Deinde notum eſt in officinis Pharmaceuticis ad hominum prorogandam vitam tria ſolenniter odorifera pretioſa ad refocillandos ſpiritus, pro ut occaſio fert & neceſſitas requirit, magno pretio emi, & ſummo ſtudio aſſervari: AMBRAM videlicet MOSCHUM & ZIBETTUM. De Ambra in præſenti agitur, MOSCHUM verò ideò adduco, ne quiſquam frontem contrahat & naſum formet aduncum, quod Ambram excrementum avis eſſe deducam.

Capreæ Moſchiferæ cibum ſuppeditare herbas odoratisſimas, quarum præcipuam eſſe Nardi ſpicam, ſcribit quæſtione antecedente citatus Autor Muſei Calceolarii; Et Libavius *lib. 4. Singularium cap. 7. in Scholiis p. 363.* Moſchus innuitur bonus fieri à Comeſto utroque Been & Spica: Quibus adſtipulatur Excellentisſimus Schröderus in ſua Pharmacopœia, quando ſcribit: Colit alpes, nardis victitat, aliisque herbis odoriferis. Quod ſi jam ab eſu radicum

Contrayerva. Quæ ipsa radix præstantissimum remedium est adversus omne venenum, cujuscunque sit generis (excepto ☿.) Quin & in peste felix ejus usus compertus est, ut & morbillis nigris. Celeberrimus Schröderus in sua Pharmacopœia, atque ideò hæc Radix Bezoartica, Radix Alexipharmica, Radix contra venena non sine fundamento nominatur, Bezoar suam vim habet: & Virtutem suam pilæ Rupicaprarum (Bezoar Germanicum à nonnullis appellatum) bonam partem ab esu radicum Doronici, Germanicè Gämsenwurtz/ Schwindelkraut/ cujus usus præcipuus est in *Vertigine*, palpitatione cordis, Venenosis morbis ac morsibus, unde argumentari licet, ab esu harum Radicum, quibus vesci solent Rupi Capræ, in usum generis humani probatâ Experientia venisse & adhiberi, quemadmodum referunt Autores: & Nardus Indica aliarumq; odoratissimarum herbarum esus quicquam facere potest ad conciliandum vel consequendum odorem & Virtutem Moschi, qui sanies est & pus.

Et Damarum pilæ gratissimum odorem spirent ex suavissimis & optimis herbis depastis, ut scribit Bauhinus lib. de lap. Bezoar in Epistola dedicatoria: Quare non itidem id valere poterit in Ambra. Insulæ namque quas dictæ Aves inhabitant, plantis ac herbis odoratissimis varii generis abundant; quod ipsum sequentia confirmabunt.

Ad Oppidum Agacinum Javæ Insulæ ventum est primùm, inde Leucas ad sexaginta in Amboinam Insulam delati, quæ ad Moluccarum ditionem pertinet positis utrobiq; columnis ad Bandam ejusdem ditionis processêre, ex qua, quod principem teneat locum, vicinæ aliquot Insulæ denominantur; Hæ totius orbis terrarum solæ (quod constet) spontè lautiores in epulas & medicamentum mortalium ex unâ eâdem arbore macim & nucem myristicam fundunt &c. florent quo tempore ibidem aliæ quoque plantæ & herbæ varii generis, è quibus universis *mirificus odor incomparabilis cujusdam suavitatis existit, &c.* Johann. Petrus Maffejus Lib. V. Historiarum Indicarum *pag. 98*.

Insula Sumatra est valdè odorifera, cujus suavis odor à tribus milliariis sentiri potest. Autor. G.M.A.W.L. in Descript. Itiner. naval. in Indiam Oriental:

Insu-

Insula Zeilan Arabibus Tenarisim quasi terra deliciarum dicitur, sita est è regione Comorini promontorii: Osorius Zeilandã ab Incolis nominari ait & esse fertilem admodùm neq; solũ variis fructibus abundantem, *verum & herbis & plantis odore mirifico redolentibus egregiè vestitam*, quæ quidem sine ulla cultura proveniunt. Sebastianus Schröterus in Historica Totius Orbis descriptione. Tom. altero *pag.* 199.

Zeilan cœlo ita temperato, aere tàm salubri fruitur, ut omnes Indiæ provincias hâc parte excedat, nonnullique istîc Paradisum terrestrem fuisse olim arbitrentur. Mira cœli clementia incredibilisque temperies, hyeme æstateque nunquam sævientibus, Ager fertilis perpetuò viret, flores varii leguntur, adeò ut cum Poeta de hac Insula canere liceat:

Hic Ver purpureum, varios hîc flumina circum
Fundit humus flores.

Arbores perpetuò floribus ac fructibus onustæ sunt, ut sunt mala Assyria incredibili suavitate, mala Medica, Citria poma, Aurantia, Limones aliique fructus nobilissimi, fert & palmam & Aromata, Cinamomum, Cardamomum, Caryophyllum, Piper aliaque: Mercator in Atlante minore *pag.* 634. & *pag.* 637. Insula valdè montosa est, visiturque mons sublimis altissimo situ inter totius Insulæ cacumina; Incolis Pico de Adam dicitur, credunt enim Indi firmiter, istîc Paradisum fuisse, & Adamum ibidem à Deo creatum, dicuntque etiamnum hodiè extare primi parentis pedum impressa vestigia, longitudine duos palmos (majores videlicet) excedentia: Scribit ex relatu cujusdam Mercatoris Mahumetani Ludovicus, Romanus Patritius in fastigio hujus montis specum esse quendam, quo se recipiebant ejus Regionis omnes Incolæ in primi Parentis sanctissimi memoriam; memorare enim Incolas, Adamum, post lapsum illum, fletu & continentiâ, pœnitudine ductus culpam redemisse. Videri potest de hac ipsa materia Johann. Hugo Lindscottanus part. 2. in

De-

Descript. Indiæ Orient. & Ampliss. Dn. Olearius in superius sæpissimè citato Itinerario Nobilissimi Mandelschlo *pag.* Es ist aus vornehmen Autoribus durch gute Gründe erwiesen / daß die Insul Zeilan sey / welche Taprobana und Ophir gewesen / wo Salomon und Hieram so reiche Schätze geholet.

Item Johannes Eusebius Nierembergius in Historia Naturæ *lib.V. cap.*2.

Hæc allegasse placuit ideò, quoniam præsumtio est, illum locum ubi paradisus fuisse scribitur, præ cæteris sine dubio dotasse Mundi conditorem, atque sic quoque odoratissimis spiritus vitales refocillantibus medicamentis.

Insularum ad Africam terram maxima est in mari rubro Menuthias, Cerne Plinio dicta, nunc vulgò Insula Divi Laurentii & Incolis Madagascar, id est, Lunæ Insula felici aromatum proventu dives. Clüverius in Introduct. Geographic. *l.6.c.*10.*p.m.*24.

Oves in Insula Madagascar permagnæ sunt & pulchræ, *quia* optimis herbis odoriferis pascuntur. G.M.A.W.L. in Descript. Itiner. Naval. in Ind. Oriental. p.5. part. prim. Amsterodami excusa A.1598.

Dictæ Aves Insulanorum de Maldivis Anacangrispasqui vel linguâ Madagascaricâ Aschibobuch itidem vescuntur herbis odoriferis, ut constat ex Ferdinandi Lopetz de Castagneda relatione & Hieronymus Megiserus expressè habet, Ipsas Incolas Insulæ Madagascar tanti odoris causam referre ad alimenta. Quibus jam notus est fructus arboris Assaragaoni, quo vesci solent dictæ Aves, & quibus nota est animalculorum illorum Lorpin dictorum natura & bestiæ illius venenosæ Aldafarcad, cujus apostema dictæ Aves exsugunt & expurgant, illi feliciùs & exactiùs poterunt in rei certitudinem penetrare.

GLORIA SOLI DEO.

